GABRIELIS HARVEII RHETOR,

Vel duorum dierum Oratio, De Natura, Arte, & Exercitatione Rhetorica.

Ad suos Auditores.

LONDINI,
Ex Officina Typographica
Henrici Binneman.

ANNO. 1577.

BRITISH MUSEUM

45.
6. 30.
1241.

GABRIEL HARVEIVS S.D. Bartholomæo Clerco,

Doctori Iureconsulto, & Oratori clarissimo.

CICERONIANVS nuper meus, Ornatißime Clerce, in G. Leuini nomine peruulgatus apparuit, amicißimi, atque optimi hominis, & Ciceroniani, cùm opinione mea, tum aliorum iudicio, propemodùm singularis. Rethorem *verò typis propediem editurus, non illum quidem satis comptum, atq; concinnum, fateor, sed tamen Rhetorem (sic enim nominare placuit) cui eum viro potius addicam, quàm B. Clerco, id est Rhetori, (vt cætera ingenij, doctrinæq; ornamenta taceam) præcellenti, & planè, vt Græcè dicam, ῥητορικωτάτῳ, non reperio. Offerebant quidem sese Cantabrigienses multi, Oxonienses nonnulli, de Eloquentia præclarè meriti, quorum etiam mihi erat periucunda certè Memoria: sed vis ingenuè apud te dicam, quod hîc sæpe apud meos familiares soleo, verè possum apud omnes? Quæso, vt bona liceat cum venia tua. Memini B. Clercum, cùm Rhetoricæ apud nos Professor Academicus, credo iam abhinc annis tredecim, aut quatuordecim esset, tanta cum nominis sui laude, atque gloria, impositum sibi munus procurasse, at ad eam prouinciam & natura factus, & arte limatus, & vsu quodam perpolitus existimaretur. Factus deinde ex Academico Aulicus, tam disertè Castilionis, elegantißimi scriptoris Aulicum, & tam enucleatè ex Italico in Latinum conuertit, (opus vtiq; Regium & Augustißimæ Principi, ac potiùs Heroidi consecratum) vt non iam Harueij laudationem, minutißimi Rhetoris, exspectare debeat, sed iampridem sit à duobus Nobilißimis, Magnificentißimisq; Dominis, Oxoniensi, & Buckhurstio, Aulicis, vel ad ipsam illam Castilionis singularem Ideam perfectißimis, atq; optimis, duobusq; cùm doctißimis viris, tum etiam hominibus disertißimis, Caio, atque Bingo, non solùm illustri gratia exceptus, sed quadam insigni commendatione, atque publico testimonio cohonestatus. Vidit exinde Galliam, ibiq; est à celeberrimis quibusdam, florentißimisq; Academijs, exceptus perhonorificè: atq; eiusdem illius Eloquentiæ, non modò Iurisprudentia-*

 tia

tiæ nomine, singulari laude, oblatis etiam honorum Academicorum insignibus, & stipendijs, decoratus. Post, domum, abhinc annis ferè quinq; reuersus, Cantabrigiam illico, vti Matrem indulgentissimam pius filius, reuisit, perorauit, disputauit, in Doctorum iuris Ciuilis Collegium, summa totius Academiæ celebritate, cooptatus est. Nihil eo fingi poterat ῥητογικώτερον. Quàm nollem hæc de te apud te: & tamen plura vellem apud alios. Nil dico de Fideli subdito, breui illo quidem spacio, perquam, vt mihi videbatur, artificiosè conscripto. Taceo cætera. Longum enim esset, hærere in singulis: & hîc malo nimiùm mihi parcus videri, quàm tibi nimiùm prodigus. Quid vis amplius? Si Leuino meo, Ciceronianus noster congruebat (congruebat autem homini cùm primis Ciceroniano, vt opinor, maximè) clarum est, Rhetorem Clerco, vtpote homini Natura, Arte, Exercitatione, omni modo planè Rhetori, & meis vndiq; instrumentis, tanquam Eloquentiæ armis, munito atq; tecto, non dico conuenire, sed deberi. An tu quæso igitur, à Leuino tuo, inquies, ita Clercum distinguis, vt à perfecto Ciceroniano, istum, quem informas, semidoctum Rhetorem? Siccine mecum agis, Harueie, & huc tua deniq; euadit tam honorifica Præfatio? Quî potest, optime Clerce, nisi te velim vna laude ornatum, pluribus, peræquè debitis, spoliare: & tanquam vinum perdere, infusa aqua, vt ille apud Homerum πολύμητις? Nec verò est, quòd magnoperè tacitas extimescam cogitationes tuas, cuius perurbana humanitas, cum mihi priuatim cognita (fatendum est enim) tum satis omnibus perspecta est. Præsertim cùm & ipse tuas laudes cum alijs libentissimè communicare soleas, excellentibus viris, & qui vnam tibi virtutem, eamq; perfectam tribuit, non modo non adimat reliquas, sed tacitè quodammodò vel omnes ascribat, vel certè plures. Ciceronianum igitur definiui eum, qui sit cunctis ferè M. Tullij, aliorumq; insignum Oratorum artibus, literis, cognitione multiplici atque varia, exquisitis virtutibus, amplissimis in omni humanitatis, vrbanitatisq; genere, præconijs cumulatus, non modo Eloquentiæ præcultus ornamentis: idemq; mihi fermè videtur, Ciceronianum esse, quod Ciceroni, esse Oratorem. Rhetorem autem eum in præsenti appello, qui, Natura duce, Comite Vsu, velut altera Natura, ita dicendi præcepta, omnemq; rationem, atque institutionem calleat, vt ornatè, copiosèq; possit & scribere, & dicere, eaq; Arte excellat, quæ Rhetoricæ peculiari nomine insignita, inter septem numeratur. Ac illi quidem varias, ac propè infinitas artes, disciplinasq; attribui: hunc vnius doctrinæ legitimis cancellis circumscribo: cuius qui absolutam adeptus

adeptus Scientiam est, satis antè ad dicendum Habilis, post Vsu promptus, cum Rhetorem sentio, & quidem praecellentem, nominandum. Atq; haec verbi propria, & genuina vis existimanda est: tametsi latiùs interdum manare, & in plures idem artes nonnunquam diffundi, non ignorem. Itaq; summa erit haec. Ciceronianum *edituro, Leuinus noster in mentem veniebat, cuius ego amicitiam, atq; familiaritatem in maximis fortunae bonis semper posuissem, & qui Ciceronis mihi Oratorem, hoc est, vt ego quidem interpretor, Ciceronianum, accuratè aliquot antè annis esset interpretatus, iamq; prope perfectus Ciceronianus (quid enim dicam, Orator? idem est vtrunq;) videretur. De* Rhetore *autem peruulgando, nō ita multò pòst cogitanti, statim mihi Clercus, quasi ante oculos positus, seq; mihi obuiam ferens, occurrebat: non ille quidem tantùm Rhetor, (es enim profectò etiam Ciceronianus: & ipse in salutatione posui, Oratori) sed tamen Rhetor eximius, & dicendi artifex paenè singularis. Cui si meum istum ita Rhetorem probauero, vt Leuino nuper Ciceronianum probaui (quod minimè herclè diffido, quantum quidem ad rem attinet) de caeterorum ego siue iudicijs, siue praeiudicijs non nimiùm laborabo. Ac tantum abest, mihi crede, vt ab eis metuam, quibus tu scitè, in illa eleganti ad Buchurstium Epistola, Nizolistarum nomen inuris, vt, si qui tales cum suis Nizolijs, ac Thesauris accurrerint, eos putem ferè in Abecedarijs, quos vocant, pusionibus, & quasi in infima Grammatistarum classe numerandos. VALE: Et G. Harueium ad eorum numerum ascribe, qui tuae sunt cùm incolumitatis cupidissimi, tum etiam studiosissimi dignitatis. Datum Cantabrigiae, ex Aula Pembrochiana. IIII. Calendas Sextiles. 1577.*

B. CLERCVS G. HAR-
ueio Cantabrigiensi, Rhetoricæ
artis Professori eloquentissimo, pa-
rem Salutem optat.

RVSTICANTI mihi nuper Mitchamiæ, quasi in Tusculano meo, Haruete optime, incidit fortè fortuna in manus, politißimè fabricatus Rhetor tuus. Quem etsi multis alijs conuenientiùs, quàm mihi, dicare potuisses: cui Bartolus, & Baldus, omnes eloquentiæ neruos, (siqui vnquam fuerunt) aliquot ante annis præciderunt: cuiq; seria negotia taciturnos, plumbeos, & melãcholicos spiritus quotidiè ingenerant, potiùs vt cogitare prudenter, quàm politè eloqui desiderem (si id consequi possem:) agnosco tamen facilè, & in optimam partem voluntatẽ tuam: Iudicium verò, & in Ciceroniano tuo, & in Rhetore fingendo, præsertim in illa tua ætate, ego (qui nihil auribus dare soleo) suspicio valdè, & admiror. In quibus inter cætera nonnulla, hoc vnum maximè placet, in Rhetore præsertim tuo, quòd, cùm multos scriptores percurreris, multos euolueris, multa ex eisdem delibaueris: candidam, & synceram de vniuersis sententiam tuleris: nec illis, à quibus flores, & fructus collegeris (quod quidam faciunt, dũ plus sapere volunt, quàm pectorum angustiæ patiuntur) mellis loco, venenũ aliquod, aut verbi virulentiam suffuderis. Hoc ex ea re capies commodi, vt tua in posterum scripta, eodem candore ab alijs perlegantur. Multa sunt præterea in tuis Orationibus, quæ mihi magnopere arrident: nempe verborum volubilitas: sententiarum concinnitas: styli suauitas fluens, & prope incredibilis. In hoc extremo Rhetor tuus, Ciceroniano tuo par, aut forsitan superior euasit: nisi me, vel tui amor, nuperrimè post visum Rhetorem ingenitus, vel meum ipsius iudicium fefellerit. Quod nunc ad te non scriberem: qui tua omnia satis iusta statêra librata habes: nisi vt tibi persuadeam, nouum tibi quotannis opus aggrediundum esse, insistendumq;, atq; adeo instandum in eo, quo cœpisti, fœlici cursu: quia ea ferè præstantiora sunt, quæcunq; sunt posteriora, & diligentiùs cogitata: animis scilicet nostris studio, vsu, iudicio, magis, magisq; in dies confirmatis. Et quanquam in tuis scriptis, nihil vnquam viderim, quod non satis limatum industria, iudicioq; etiam perfectum sit (nisi ipse minus iudicare poßim, qui hæc scribam:)

bam:) hortarer tamen, aut potius rogarem impensè, vt aliquando Bingum *meum, eundemq́ vestrum, exactissimo iudicio virum, inuisas.*

Ille te, tuosq́ libros, (quos fore spero prope infinitos) qua est humanitate, perbenignè accipiet: eosq́ non solùm laude debita celebrabit, (quod est à laudato viro, instar trophæi) verum etiam sua censura & iudicio sic excolet, vt, etiamsi emendatione, & diligentiore trutina non indigeant, virtutem tamen aliquam, vel ipso illius contactu, & aspectu accepisse, tibi videantur. Hic ego te iam nunc aliud non hortor, quàm id, quòd ipse hodie facerem in Græcis, Latinis, & Philosophicis, si meæ vitæ rationes adhuc in Academia Cantabrigiensi agere paterentur. Nihil est, quod magis doleam, quàm quòd solus studuerim, solus legerim, solus scripserim, solus libros ediderim. Permagni interest, habere quicum communices tua, & alterius consilium audire, etiam illius, qui minùs fortasse sapit, quàm tu: quia plus vident oculi, (quod in Prouerbio est) quàm oculus: & in sua quisque prole occæcatus est. Vide, quàm te amare incipiam, mi Harueie, qui tibi, in ipsis amicitiæ initijs, tam confidenter, & ex animo consulam. Sed quid non ego mihi de te pollicear, qui nihil de te merito, Rhetorem *tuum, tam eloquentem, tamq́ omnibus numeris absolutum dicaueris? In cuius fronte, (qui tuus amor est) tot meæ laudes sunt, quot nec ego vnquam agnoscam, (nisi me fortè nesciã) nec vnquam in lucem prodire paterer: nisi etiam, atq́ etiam erubescere potiùs mallem, quàm delicatissimis tuis scriptis vim inferre: eorumq́ fructu alios priuare. Ego certe, si aliquo numero inter Oratores sim, aut vnquam fuerim (quod verè, aut saltem verecundè fateri non possum) id non multa, sed multum legendo consecutus sum. Certis me semper Authoribus addixi, quos perpetuò, tanquam Duces, secutus sum: in alios si fortè incidissem, illos minimè quidem contemnendos putaui: sed vt subsidiarios, & leuis armaturæ milites, in suum tempus, & locum reseruaui. Duces meos semper: quasi relligiosis quibusdam vestigijs, subsecutus sum. Vnum illud abfuit, ad eam, quam ego mihi proposui, mediocritatem consequendam: quòd* Bingum *quẽ in omni vita expertus sum amicissimum, in studijs etiam coniunctissimum non haberem. Huic ego te: me verò tibi: nos omnes Deo optimo maximo commendo: qui mihi testis erit, me Harueianæ Beneuolentiæ, nec vnquam obliuisci, nec deesse velle. Quid plura? Probasti apud me* Rhetorem *tuum: & ego te in meorum album, atq́ numerum ascripsi.* *VALE.*

Datum Mitchamiæ, in Com. Surræ, Calend.
Septemb. 1577.

Erratorum Elenchus, quæ absente Authore exciderunt, queque initio sunt à Lectore quam primum emendanda.

A.iij.pag.1.lin.16. pro At, lege Ac.
C.j.pag.1.lin.20.lege, Nossetis.
C.ij.pag.1.lin 11.lege, oportuit? cum interrogatione, & tunc dele parenthesim. Pag.ead. lin 16. lege, vosmetipsi. Pag.2.lin.9.lege, διδασκάλων.
D.j. pag.1.lin.7.acutum scriberetur grandibus literis, & sine puncto.
D.ij.pag.1.lin 7.lege, Cicerones. Lin.12. lege, quidem.
F.j. pag.1.lin.11.lege, Herenniana.
G.j. pag.2.lin.2. lege, compilabo.
G.iiij. pag.2.lin.12.lege, puerilia. Lin.14.lege, exemplum.
H iij. pag.2.lin.20.lege, politissimi.
I.j. pag.1.lin.16.lege, flaccescere.
I.iij. pag.2.lin.17.lege, Cantabrigienses.
I.iiij.pag 2.lin.6.lege, susceptos.
K.j.pag.lin.1 4.lege, dimanarunt. Lin.12.lege, cytharæ.
K.iiij.pag.1.lin.14.lege, κάλλισα Pag.2.lin.9.post amore, ascribe comma.
O.ij. pag.2.lin.2 lege, hæc. Lin 13.dele comma post municipium.
Q.iiij.pag.1.Lin.4.dele comma post præclarissimorum.

Si qua præterea occurrerint, non indiligens Lector perfacile emendabit.

¶Gabrielis Harueij RHETOR, vel duorum dierum Oratio, de Natura, Arte, & exercitatione Rhetorica.

Primus dies de Natura, & Arte Rhetorica.

MIrari ſatis non queo, tot hodie Anglos, & nominatim Cantabrigienſes, ex ijſq; etiā maximè delicatos, atq; lautos, vnum in locum, tanta celebritate totius Academiæ, perinde quaſi theatrum hic aliquod haberetur, confluxiſſe: eum vt perorantem in hoc tempore audire poßint, quem tam ſæpe, tam nuper, tam attentis auribus, atque animis exceptum audiuerunt. Quid enim tam nouum, nouum autem? imo quid tam prodigioſum in Academia Cantabrigienſi, quàm veterē non negligere cuiuſq; diſciplinæ profeſſorem, niſi noui is fortè aliquid, & peregrini, & pænè inauditi dicturus exiſtimetur? Vidi ego vacua ſubſellia, vidi ſcholas deſertas, partim prælegentibus, partim perorantibus ijs, ex quorum linguis melle,

melle, nectareq́ dulcior fluebat oratio: etiã gemina ornamenta nostra, Bingus, & Dodingtonus, (pudet dicere, sed nimis id verum est, & quidem etiam nimis intolerãdum est) verba non semel, sed sæpè ad parietes, & subsellia facere sunt coacti. Tanta est Cantabrigiensium aurium, atq́ animorum mollities, & elegantia. Nihil hic antiquum, nihil vsitatum placet: vestes, mores, verba, gestum, omnia affectamus noua: etiam eundem diu audire, tametsi, politissimè dicentem, atq́ optimè, nostratem præsertim, & domesticum, religio est.

Exspectabam equidem proximo superiore anno (quid enim dissimulem?) Collegiorũ omnium, Aularumq́ cœtum, atq́ concursum frequentissimum: nec mea sanè me iam tum fefellit opinio. Præoccupatus est locus in subsellijs: completa schola: aderant cunctarum ætatum, atq́ ordinum Academici: coronam, vt in comitijs, amplissimam, turbam, vt in foro, maximam, erectos, vt in scena, spectatores, auditoresq́ videbamus. Neq́ id quidem profectò

mirum: ipsa enim mihi nouitas fecit audientiam. Hoc autem anno, & his presentibus comitijs, tantùm aberat, (mihi credite, qui mentiri non solio,) vt ingentem illam, atq; grandem multitudinem, celebritatemq; Academicam vel sperare possem, vel exspectare auderem: mihi vt ipsi iampridem statuerim, & parietibus istis Rhetoricis canere deinceps: astante vno, aut altero è meis pupillis; non vt auditore eloquentiæ, sed vt teste præsentiæ. At ecce præter spem, contra exspectationem omnem, doctißimorum, ac disertißimorum hominum, quales hic vndique permultos adesse video, non modò humanißimorum adolescentium, atque suauißimorum puerorum cõcursio planè incredibilis: vt Lutetiæ iam Parisiorum potiùs, aut etiam Romæ ipsi esse videar, quàm Cantabrigiæ. Nec verò temere est, interesse huic dictioni eos, quorum auidas, & capaces, & teretes, & religiosas aures (intelligo, quid dicam) ne Tullius quidem ipse vester, si reuiuisceret, & eloquẽtiã isto loco, audientibus

 illis,

illis, profiteretur, implere poſſet. Certè nouitatis neſcio cuius exſpectatione ducti, ſeu potius titillatione quadam incitati plæriq; huc, vt opinor, omnes conuolaſtis: ſed videte quàm nullam habuerim neque itineris veſtri neq; meæ gloriæ rationem. Nihil enim adferam recõditum: nihil tam illuſtrium Oratorum auribus; tam excellentium Philoſophorum animis dignum: nihil aut cuiquam nouum, aut in his eloquentiæ ſedibus inauditum. Harucius iam vetus, & propè etiam, quod ille addit, vietus eſt: nouitatem nouis relinquit profeſſoribus. Quem ſi nihilominus tam honorifica dignari frequentia veſtra volueritis, & de re vulgari (ſic enim mihi quidem videtur, & ſic eſt) vulgarem hic quandam, minimeq́; elaboratam audire orationem: deponitote quæſo ad vnius ſemihoræ ſpacium Ciceronianas illas, & hyperatticas aures, quas vobiſcum aſsiduè circumfertis: meq́; vias, quæ ad eloquentiam ferant, planiſsimè, vti ſoleo, tradentem, & meorum auditorum vtilitatem, atq; compendium, non

glorio-

gloriolam aliquam aucupantem, bona cum venia attenditote. Vos enim, qui hodierno die conuenistis, & subsellia iam ista occupatis, in duo ego genera sentio dispertiendos: in Auditores, & Spectatores. Auditores dico, qui eximia eloquentiæ pulchritudine, ac venustate incensi, ad eius iucundissimam familiaritatem sese, atq; consuetudinem applicare, cum eaq; rē habere cupiunt: & mea ad id vel opera, vel consilio, vel institutione aliqua vti cogitant. Spectatores appello, qui cùm sint ipsi eloquentiæ intimi, & iampridem in delicatissimam Ciceronianorum ciuitatem asciti, videre tamē, et audire quæ fierent, quæ dicerētur, quæ præciperentur, & tanquā fabulæ interesse, festiuitatis ergô, voluerunt. At illos quidē rectâ si voluerint, ad eius conspectum mittam, quam tantopere adamatam, & concupitam ambierunt, hos dimittam, si videbitur, ad Musæa. Videre namq; mihi videor, quanto alij Ciceronis, alij Cæsaris, quidam Liuij, nonnulli Senecæ, alij etiam, si dijs placet, Longolij, Osorijq;

golij, Oſorijq́; deſiderio perciti teneantur, dum hic bonam horam tam malè collocant, & politulas limatulaſq́; aures tam frigido præbent oratori. Iſtis ego, vt amicus, ſuaſerim, rogarim, vt inferior, ad ſuos quiſque vt amores, ac delicias redire velit; noſq́; valere iubeat horridulos oratores. Moneo enim, prædico, ante denuncio, ornatiſsimi ſpectatores, nil hodierna vos concione, aut re noui, aut verbis elaborati, aut aliquo modo exquiſiti audituros, ſed ea tantùm, quæ vos ipſi ante aliquot annos impleuiſtis, & habetis animo percurſa, ac propè decantata. Certum eſt namque auditores meos, non per deuios, & flexuoſos tramites, ſed regia, quod aiunt, & publica, & peruagatiſsima via, ducere ad eloquentiam. Cuius vbi faciem pulcherrimam, coloremq́; roſeum, & peruenuſtos oculos aſpexerint (aſpicient autem propediem, niſi ego fallor) non dubito, quin ad illius complexum ſint, atque oſculum, non dico curſuri, vt ille, ſed planè aduolaturi. Quæ enim Helena,

lena, quæ Venus eſt cum inſigni eloquentiæ forma, pulchritudineq́; comparanda? Et ſunt etiam floſculi, ſunt colores, & pigmenta, ſunt exornationes, ſunt inſignia, ſunt ad amabilem venuſtatem cincinni atque calamiſtri, ſunt feſtiuitates, & lepores, ſunt expolitiones, ſunt emblemata, teſſerulæ, atque phaleræ, ſunt gemmæ, margaritæ, lumina, ſtellulæ, ſunt delitiæ, ſunt condimenta orationis, ſunt fucati omnis medicamenta ruboris, & candoris. Sic enim nimirum eloquentiſsimi, clariſsimiq́; viri, in primiſq́; Cicero ipſe veſter locutus eſt. Quæ ſi ſingulatim ſingula vel Coridonem aliquem, aut Tityrum, in agris, & ſyluis educatum, atque omnis ferè expertem humanitatis, mouere poſſunt: vt illos tandem coniunctim afficient vniuerſa? Vos verò ita omnino affecerunt, viri doctiſsimi, vt ardore quodam amoris, ac potiùs fame, vt ita dicam, correpti, Ciceronem iampridem totum, atq; integrum comederitis, omneſq́; Iſocratis Demoſtheniſque arculas, & μυροθήκια

ſitis

sitis quàm auidissimè perscrutati. In quorum curriculis atq; spacijs si imprimere sua istos vestigia cernerem, abrumperem hic quidem orationis filum; habereq́; eos dicerem, qua ingrederentur, viam ad eloquentiam compendiariam. Nunc autem cùm sibili, & clamores isti anniuersarij recentes esse propemodum vel omnes, vel plærosq; auditores meos arguant, qui neq; quid facere, nec quos imitari debeant intelligunt, & Rhetoricæ tamen splendore capiuntur, Oratoresq́; esse cupiunt: ita, si potero, ista aperiam, & sic omnia in illorum conspectu ponam, vt ea cernere oculis, ac propè tractare manibus videantur. Vos quæso interim, disertissimi, politissimiq́; viri, vel discedite sanè, si libet: vel peruulgata quædam, & quasi dictata decantantem, qua hactenus cæpistis, benignitate auditote. Et quorū in linguis, atq; auribus Cicero totus, solusq́; habitat, ij mihi, rogo, ignoscant, si quod fortè vocabulum properanti excidat nō satis Tullianum. Non omnes Longolij, & Cortesij esse possumus: nonnulli

nulli nolumus. Qui plures, sed optimos, atque lectissimos Latinitatis auctores peruolutant, & Ciceroni, omnium Principi, Cæsarem, Varronem, Sallustium, Liuium, Senecam; Terentium etiam, & Plautum, & Maronem, & Horatium comites adiungunt, eos mihi æquos fore non dubito. Neq; enim multos, & multa lectitans, interdum etiā poëtas, vt iubet Crassus apud Ciceronem, affirmare audeo me nullum verbum in tam subita oratione ponere non in thesauro Ciceroniano indicatum. Sed Ciceronis corniculæ illæ, atq; simij, eruditorum sibilis, & cachinnis, perinde atq; dignissimi erant, iampridem explosi, tandem propemodum euanuerunt: & ego iam cùm attentos, atq; dociles auditores, tum verò beneuolos requiro spectatores: nō qui singula religiosè ad suarum elegantiarum trutinam examinata perpendant, sed qui cādidè omnia, & perbenignè interpretentur. Volui enim ego quoq;, si potui, sed fortasse non potui, tam loqui Ciceronianè, quàm qui omniū Ciceronianissimè. Parcite mihi, ô egre-

gij Ciceroniani, ſi non debeam eo gradu vti comparationis. Verùm iſta ferè πάρεργα ad lautiores ſpectatores. Venio nunc ad vos, mei optimi, & ſuauiſsimi auditores; quorum alios veteres agnoſco; alios video recentes, atque nouos. Vos, qui veterani eſtis, faciliùs aliquanto, luculentiuſq; percipietis, quæ dicam: ſed dabo operam, vt nouitij quoque ſe didiciſſe aliqua, intellexiſſe omnia glorientur. Etenim malo herclè propter nimiam perſpicuitatem non probari à multis, quàm propter obſcuritatem aliquam non intelligi ab vniuerſis. Heracliti σκοτεινὰ, qui volet, (nihil enim impedio): & Ariſtotelis ἀκροαματικὰ, atque κρυπτικὰ, qui altum quiddam ſapere videri cogitant, mea bona cum venia conſectentur: ſed tamen mihi ipſi placet enucleata, & facilis, & dilucida, & interpres mentis oratio. Adeſte igitur animis, qui adeſtis corporibus: & eloquentiæ, vltrò ſe vobis offerenti, prodite obuiam. Via non admodum aſpera, non præceps, non ſalebroſa, non deſerta, non ſolitaria eſt: tritam eam vobis cùm

alij iampridem permulti maiores, tum verò ornatißimi isti, eloquentißimiq́ viri reliquerunt: eorum vestigia persequimini: me vel ducem in itinere, quoniam ita cõtigit, vel potiùs comitem habebitis, atq; socium. Videndum est autem initio & quid instrumenti, & quid viatici habere debeamus. In quo si me, ac ne me quidem, sed summos ex omni memoria viros, & ingenij, doctrinæq́ magistros, atque principes audietis, (audietis autem, vti spero) breuî ego vos in eloquentiæ regno, & in ipsius suauißimo conspectu collocabo. Nam id mihi tandem si assumo, tot iam annos in illius nobilißima regia versatus, & cum cunctis omnium ætatum, atque temporum oratoribus aßiduè colloquens, videor id meo iure quodammodò posse vindicare: nec pervulgatißimũ illud pertimesco: Qui sibi semitam non sapit, monstrat alijs viam.

Vt igitur ad comparandam Dialecticam (id quod est heri commodißimè à meo collega explicatum) vt ad res, artesque

 omnes,

omnes, vel vſu, fructuq; neceſſarias, vel amplitudine ac dignitate illuſtres adipiſcendas: ſic ad accuratam & ſplēdidam dicendi rationem, id eſt eloquentiam ſiquis peruenire velit, huic triplici eſt opus inſtrumento, Naturæ, Artis, Exercitationis: ſine quo nemo poteſt in præſtantium Oratorum numerum aggregari. A natura namq; informati; à literis, doctrinaq; exculti; ab exercitatione ſumus, atq; vſu perpoliti: nec magnopere aut ſine diſciplina ingenium, aut ſine ingenio diſciplina, aut vtrumque ſine conſuetudine ad laudem valet, atque gloriam: quodq; poëta ille de virginitate pereleganter; Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentũ eſt, Tertia pars matri data, pars data tertia patri, Tertia ſola tua eſt: *id hic non incommodè transferri mihi poſſe videtur ad eloquentiam: ſed cùm ad nobilem, & eximiam naturam non ſolùm artificioſa quædam ratio, confirmatioq; doctrinæ, verùm etiam crebra lectio, accuratæq; commentationes, ſcriptioneſq; & frequentes, & elaboratæ acceſſerint, tum*

demùm

demum illud nescio quid splendidum & admirabile, quod in Demosthene suo Græci, nos in Cicerone prædicamus, solet exsistere. Et qui fuerit omnibus egregiè, cumulateq́ instructus, ab eo maius quiddam vtroq́ (nisi me fallat eloquentia) ac diuinius potest exspectari. Quocirca triplex hoc instrumentum, atque viaticum sic vobis commendo omnibus, atque singulis, vt in eo nimirum solo ponam omnia. Nihil est tam arduum, nihil tantis difficultatibus obuallatum, quod non facilè his machinis possit expugnari. Sed non debeo de omnibus confusè dicere, quæ requirunt singula suam quandam non admodum concisam disquisitionem. Volumina mediusfidius implere possim, si velim cuncta persequi copiosè. Verùm nec mei parua, & temporis, atque loci sanè permagna, & vestri præcipua ratio habenda est: suntq́ ita perstringenda & coarctanda singula, vt multò plura potuisse, nihil quicquam debuisse addere videamur. Ac de natura quidem quàm paucissimis: de reliquis, & præser-

tim de exercitatione, paulò dicam vestra pace cum copiosiùs, tum etiam luculentiùs. Vos interim quæso, quemadmodum cœpistis, auscultate.

Na- *Sic itaq; cum Ciceronis vestri Crasso, amplissimo homine, atq; nobili in primis Oratore sentio, Naturam primùm, atque ingenium maximam ad dicendum afferre facultatem: nec multum nos à Rhetorico magistro adiuuari, nisi è natura ipsa quædam, eaq; permulta, & perutilia, habeamus. Cùm enim in alijs propè rebus omnibus, tum vel maximè hic sanè meo iudicio locum habet, quod vulgi, & poëtarum sermonibus percelebratum increbuit;* Nil decere inuita Minerua, *id est aduersante natura, & repugnante. Vt, siquis, verbi gratia, miserè balbutiens, voce absonus, vultu fœdus, toto corpore agrestis, atque vastus, in omni sermone horridus ac rudis, motu etiam ipso, atque gestu ridiculus, ad Rhetoricam animum applicare vellet, in eaque ætatem omnem consumere: haud multò eum citiùs Oratorem*

tura.

torem, quàm asinum Cytharædum, aùt piscem Musicum videremus. Quamobrem valde quoque assentior illi alteri Ciceronis egregio, excellentiq; Oratori, qui, cùm Crassus perorasset, ipseque alia quædam, quæ sibi viderentur, addidisset, & quidem etiam mea sententia peracutè (quis enim acutior Antonio?) In eo vel maximè *inquit*, probaui summum illum doctorem Alabandensem Apollonium, qui, cùm mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos iudicabat non posse Oratores euadere, operam apud sese perdere, dimittebatque, & ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere, atque hortari solebat. *Præclarè id quidem certè Alabandensis meo iuditio, valdeq; Antonius sapienter. Quotus enim vestrum quisque ignorat, vnde natum illud, peruulgatumq; prouerbium sit, quod est omnium ore iactatum;* Non è quouis ligno fieri Mercurium posse? *Is autem fingebatur,*

vt nostis, eius, de qua agitur, Deus eloquentiæ. Cætera vosmetipsi colligite. Sentietis non esse in rerum natura nullos, ex eloquentiæ scholis in agros deportandos, & inter iumenta, sermonis omnis expertia, statuendos. Absit autem, vt omninò quenquam esse suspicer meorum auditorum qui sit ita naturæ dotibus, & ornamentis orbatus, itaq; lingua, voce, gestu, oratione omni absurdus, atque putidus, quin vel Crassi ipsius, Antonijq; opinione possit in Oratorum numerum venire, & ad eloquentiæ laudem aliquã, si non omnes summam, atque præcipuam, penetrare. Neminem hic ego Vulcanum; Thersitem nullum aspicio: videre etiam mihi vndiq; multos videor, qui sunt adeo eximijs naturæ muneribus atque donis locupletati, vt non tam illi quidem nati, quàm ab aliquo Mercurio ficti videantur: ita os, caput, frons, oculi, manus, totũ deniq; corpus ad dicendũ videtur fabricatum: & ad perfectam quandam, singularemq; eloquentiæ Ideam quasi virgula diuina, vt aiunt, suppeditata omnia. Palladem ipsam

ipsam mediusfidius, virginitatis pertæsam, nūc tandem peperisse arbitror, atq; aureum hunc, argenteumq́; partum auspicatissimis Calendis edidisse. Sunt ex vobis Iunonij pueri: sunt præstanti, & generosa indole adolescentes: sunt iuuenes magnis ad dignitatem præsidijs præmuniti: habent egregia multi, admirabilia aliqui, heroica etiam nonnulli, & planè diuina ingenia: omnes vt vno ore omnia bona dicere, & laudare fortunas meas debeant, qui auditores habeã, tali ingenio præditos. *Natos si possem dicere, vt ille apud Comicum, haudquaquam me dubitarem omnibus Metellis, atq; Priamis anteferre: sed facile & eos, & alios, qui vnquam fuerunt, sunt, erunt, omnes, numerosa sobole, præstantibusq́; liberis antecellerem. Itaq; libet cum illustri poëta exclamare:*

O fortunatos nimium, bona si modò vestra Noscetis.

Cum Roma ipsa proculdubiò, Oratorumq́; nutricibus Athenis de dignitatis, atq; decoris am-

plitudine contenderetis: nec ab vlla vos gente superari virtutis laude pateremini. Equus, si vires ipse suas cognosceret, non sessorem ferret, *non fræno cohiberetur, non calcaribus perfoderetur, non onera ingentia, eademq́ perpetua sustineret. Vos si innata rerum præstantißimarum semina, si insitos ad eximiam virtutem stimulos, si collucentes naturæ igniculos, atque faces, quibus ad omnem estis præclarißimæ laudis splendorem inflammati; perspectas satis, exploratasq́ haberetis: an tam facile tam nullis animis antiquitatis nomini (nomen enim profectò ipsum suspicitis) omni abiecta æmulatione, tanquam ense, atque scuto, cederetis? Non credo, non opinor. Eadem vos enim Natura, quæ Tullium, Demosthenemq́ procreauit: nec sic ipsa inuidit posteritati, nec sic Romæ, Athenisq́ fauit, vt in ijs solis cunctas illius opes, diuitiasque consumptas existimare queamus. Non est decrepita, non sterilis, non effœta, non vetula, non exhausta natura: loquatur*

ipsa

ipsa pro sese: summam sibi oblatam iniuriam, ac prorsus intolerabilem irata profitebitur: violatam eius, & imminutam Maiestatē clamabit: non agnosci ab hominibus sua munera, extenuari, deprauari, permolestè, vt equum est, perq́ acerbè feret. Siccine mea dona contemni, obscurari, negligi, siccine ingeneratas cuiusq́ dotes ignorari; siccine igniculos illos, atq́ flammulas ardētes extingui; suffocari semina; instrumenta retundi; præsidia obrui; ornamēta conculcari oportuit (ô ingratos mortales! ô & mei, & sui vehemēter oblitos, nec quid sibi vellet diuinū illud è cœlo, γνῶθι σεαυτόν, vllo modo cogitantes. Ego mater sum, non nouerca: vos filij estis, & verò, albæ, *vt inquiūt,* gallinæ filij, *nō nothi, nō priuigni: & sic vosmetipsi abijcitis, sic prosternitis, vt priscos illos admirari tantùm, aut etiā pueriliter imitari, non æmulari audeatis, non certetis præire, non superare contendatis? Quousq́ tandem ignorabitis vires vestras, quas ego ne belluas quidem volui ignorare? vt animosè Capitolinus ille olim ad Quirites.*

Recordamini, quemadmodum Ariſtoteles veſter Platonem ſit ipſum, non modò Iſocratem, æmulatus, magiſtrum diſcipulus, vir ſenem, Athenienſem Stagirites, deformis ſpecioſum, intemperans continentem, prophanus diuinum. In eo vos eſſe cupio Ariſtoteleos: nec obliuiſci vnquam debetis, quod communis ille veſter ad Varronem præceptor, & quaſi antiſtes huius gymnaſij: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Non dicit, τίνες, aut, ὀλιγοί, ſed, quod verbum latißimè manat, πολλοὶ μαθηταὶ: perinde quaſi non nouum iam hoc, aut inauditum, ſed perſpectum, inprimis, atq; vſitatum eſſet: neq; rarum illi quiddā, & incredibile, ſed pæne vulgare videretur. Quanquam quid iſta ſunt, ſi vetuſtiora literarum monimenta excutere velimus? Mementote potiùs, Mei filij, quod eſt à doctißimis, prudentißimiſq́; hominibus memoriæ mandatum; Herculem olim, illum cognomento Victorem, non cum mortali aliquo de eloquentia: ſed cum Apolline ipſo Pythio de tripode dimicaſſe. Honeſtum eſt virtutis, atq; gloriæ certamen: nec

vllus est ad excellentem illius præstātiam, germanamq́ nobilitatem stimulus vehemētior. Et quidē audentes Deus ipse iuuat, *vt præclarè ait poëta. Vobiscū isto modo Parentem rerum omnium loqui Naturam putate, Auditores: nec vobiscum modò, sed cum his præstantissimis, ornatissimisq́ viris, quorum æmulari debebitis non obscuram diligentiam. Sunt fœlicia Britannorum ingenia: sunt, cum lacte nutricis, qui suxisse mihi festiuitatem videntur, atq; elegantiam: Cantabrigia non minùs iam cultu nitida, moribus vrbana, lepore omni, ac venustate aspersa est, quàm fuerunt illæ veteres Atheniensium, Romanorumq́ Ciuitates, etiam tum, cùm multò omnium florentissimæ, orbisq́ terrarum Dominæ haberentur. Macti virtute, eloquentia quoq; cum illis, & verborum, sentētiarumq́ insignibus, omniq́ dicendi gloria, & perorandi magnificentia contenditote. Credibile est, ex tam generosis adolescentibus aliquos, in amplissimam eloquentiæ laudem summo & ingenij impetu, & industriæ conatu incūben-*

tes, vel albis, *vt dicitur*, equis *aliquando tandem præcursuros. Ne ipsum quidem excipio regnantem in iudicijs Ciceronem.*

Iam si qui sunt, quos tam illustribus Natura bonis non imbuit, quibus nec vocis sonus tam suauis, nec tanta est dignitas actionis, & deesse videtur nescio quid aliud naturale, hos ego, non magis quàm meipsum, à dicendi exercitatione, atque studio deterrebo. Etenim si quis est, cui Natura suas opes, atque copias abscondit, is ego sum: & si quibus Dij sua munera, vt Graius ille loquitur poëta, laboribus vendidêre, ad eorum me societatem, atque cœtum aggregabo. Cæterùm de me non dicam; in quo nihil est, quod addere cuiquam animos posse videatur. Quid enim si Harueio exæquentur? quid si multò euadant superiores? quid si cathedram istam capessant eloquentiæ, & sint quadringentis ferme auditoribus, nonnunquam etiam pluribus constipati? At, Deus sancte, quàm longè aberunt tamen, ab ea, quam quærimus,

& quam tantopere vobis commendamus, maturitate? Intueamur veteres. Occurrit nobis Q. Varius, vastus homo, atq; fœdus, quem illa ipsa facultate, quamcunq; habuit, magnam ait Crassus in potentissima ciuitate gratiam consecutum. Occurrit homo nouus, C. Cœlius, ab eodē quoq; Crasso nominatus. Occurrit Curio ille tardus & dissipatus, ille loquens è lintre, ille cachinnos irridentium commouens, ille in iudicio vel maximo totam causam oblitus, ille à concione derelictus, ille cæteris dicendi laudibus maximè nudus, sola verborum bonitate, & elocutionis copia, & profluente quodammodò celeritate Orator proximus optimis numeratus. Occurrunt innumerabiles alij, à naturæ præsidijs, atque adminiculis destituti, non omninò tamen inepti Oratores. Aut si quem ista mouere omnia non queant, meminerimus ipsa illa Græciæ, Italiæque lumina, & verò linguæ, vt ita dicam, vtriusque linguas (sic enim fermè habebantur, & nos iam ita eos fuisse putamus)

Demo-

Demosthenem, inquam, & Ciceronem; quibus nihil post conditam rerum naturam perfectius in hoc genere existimatur; sua quædam impedimenta naturæ, non prorsus leuia habuisse. Quis nescit Atheniẽsem illum ita omnino balbum exstitisse, vt ne primam quidem artis suæ litteram posset dicere, sed à Cane eam discere cogeretur? Mitto spiritus angustiam: nõ loquor de coniectis in os calculis: de ascensu arduo, de continenda anima nihil dico: prætereo Phalericum: taceo Satyrum: non commemoro Sophoclis, aut Euripidis carmina: omitto lucernam, atq; speculum: cursum, clamoresq; non repeto: cætera omnia infirmitatis, & hæsitantiæ subsidia prætermitto. Quid vestræ deliciæ, Cicero? Cõcedite quæso hanc mihi veniam, eius vt summam gracilitatem corporis, infirmitatem laterum, procerum, & tenue collum, timorem quendam in dicendo, & præsertim in exordienda causa subrusticum, contentionem vocis nimiam, immoderatam, & circumfluentem totius dictionis redundãtiam, Molonis insititu-

stitutionem, perpetuam in loquẽdo tarditatem, quam etiam in Virgilio nostro Melissus improbauit, & quicquid est praetereà eiusdem generis, quasi praeteriens attingam leuiter. Nã quid hic loquar de Isocrate? Cui cùm ita deesset naturae praepotentis instrumentum, vt coti seipse quàm simillimũ esse agnósceret, acutum.

Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi: *nec forensem aliquando lucem aspicere, nec versari in illa populi frequentissima celebritate auderet, sed intra domesticos parietes aleret eam gloriam, quam adipisci poterat: is tamen hanc demùm est perfectionem assecutus, vt & à suis propter insignem in eo quandã, atq; mellitam suauitatem Attica Syren, & à Cicerone vestro cum magnus, atq; nobilis orator, tum etiam perfectus magister, singularisq; doctor sit appellatus; è cuius nimirum ludo; quis nescit caetera? Sed euenit nescio quo Aristotelis foelici fato, vt vnus propemodum instar omnium, non modò philosophorum iam, sed rhetorum etiam, oratorumq; esse videatur. Et quidẽ*

nominatim est à suis quibusdam cum Græcis, tum etiam Latinis interpretibus (vt Arabes in præsenti taceam) naturæ miraculum nūcupatus: credo, quod singularibus naturæ bonis, atq; beneficijs circumfluēs, longè, quàm cæteri omnes, admirabilior putaretur. At tibi quoq;, ô naturæ miraculum, etiamsi aureum quoddam fudisse orationis flumen diceris, cum alia nonnulla ad oratorium splendorem adiumenta defuêre, tum verò lingua ipsa tam hæsitans, atq; balbus exstitisti, quàm qui maximè. Et tamen quotusquisque etiamnum Aristoteleus est, qui non in primis te numeret oratoribus? Hæc vos acuere, & incendere debent, Auditores, si cui à stirpe generis non prorsus ingenerata putetur, atque insita eloquentia, sed quibusdam non valde magnis impedimentis constricta quodammodo teneatur. Illum namque ad Lyram asinum, *stabulis, non scholis natum vndique omnes circumspiciens, nusquam aspicio. Ignoscite mihi, si Apuleios me aliquos, quanquam quid dico, aliquos? si vnum, inquam,*

inquam, id genus, aut etiam fortasse alterum (nam adhuc alterum non audeo dicere) videre me autumem, suo quodam non asinino, sed non satis Ciceroniano dicẽdi genere delectatos. Neminem nomino: μεταμόρφωσιν exspecto; non illam quidem ex asinis in homines, sed ex Apuleijs in Ciceronis. Neq; enim profecto est, cur vel istorũ ipsorum, vel cuiusquam vestrum aut spes infringatur, aut languescat industria. De multis præclarè, de nonnullis optimè; de omnibus natura benè meruit: est in vobis εὐφυΐα: & suas quidã Deus, vt est in prouerbio, partes egit: vos vestras strenuè agitote. Ac breui medius fidiùs nõ Bẽbos, non Sadoletos, nõ Sturmios, non Manutios, nõ Osorios; sed Hortensios, Iulios, Cicerones, Demosthenes, & siquid est illis ipsis perfectius, atq; diuinius, exspectabo. Sunt enim initia profecto (nisi ego valdè fallor, sed sanè non fallor) in quibusdam meliora, in plærisq; paria. Ac de Natura quidem hactenus, aureo, vt ait Pindarus, fundamento.

Nam sciscitantẽ mihi videor ex elegãtiori-

bus istis audire aliquē, quibus tandem ille gradibus ascendens ad tantam, tamq́ mirandam peruenire poßit altitudinem. Cupimus etiam, atq́ etiam, eloquentiæ Professor, omnes ingeniorum nostrorum neruos; quos tu quidem dicendo amplificasti, credo vt minimè malo captionis genere irretitos, ad rei pulcherrimæ, ideoq́ difficillimæ studium alliceres; primo quoquo tempore pro virili intendere: vt ad eam videlicet emergere quamprimùm, & aspirare queamus, quam nobis tam accuratè omnibus cōmendas, eloquentiæ Maiestatem. Tu modò reliqua, ita vt instituisti, persequere: nosq́ cum tui percupidos senties, tum eloquentiæ videbis longè profectò studiosißimos. O si per te liceret rectà ad eam contendere: euentusq́ & cupiditati nostræ, & tuæ pollicitationi responderet. Næ ego te parentis loco venerarer; coleremq́, vt Socratem ipsum Alcibiades; teq́, ac sermones tuos Silenis, atq́ Satyris, vt ille illius in Symposio Platonis, compararem.

Laudo te, mi præclare Tulliole, quisquis es tam

tam subito inflammatus, & tam ardenti eloquentiæ desiderio. Persuasit tibi, credo, Seneca aliquis, magnam partem esse profectus, velle proficere: & te tua illa generosa natura, ille, inquam, instinctus, afflatusq́ diuinus, ille cœlestis ἐνθουσιασμὸς, illi deniq́ animosi, heroiciq́ spiritus aßiduè ad omnem excitant dignitatis amplitudinem. Attende igitur, ô cordate, & reliquam tibi viam commonstrabo, qua itur ad eloquentiam.

Sentisne vt oculorum tuorum acies ad videndum affecta, vt aures ad audiendum dispositæ fuerint tum, cum iam primùm in cunis infans vagiebas? Sic est lingua ad eloquendum constituta, id est vim eam, facultatemq́ habet, de qua dixi naturalem; artem ipsam, & institutionem, & exercitationem dicendi sine doctore, & consuetudine quadam non habet: non magis, quàm tu idem infantulus colorum varietates, ac sonorum species dignoscere sine magistro, & experientia omni potuisti. Imo naturale tuum illud, nisi tanquam lumini oleum De A

instilles, quantum quantum est, perfacilè tandem extinguetur. Quare ex triplici nostro instrumento, reliqua sunt tibi duo comparanda: alterum artis egregium: alterum exercitationis cuiusdam, diligentiæq; vtilissimum: vtrunq; ad id, quod cupis, pernecessarium. Potestne quisquam artifex esse sine Arte? An tu vnquam auem sine pennis volantem, equum sine pedibus currentem vidisti? Aut si vidisti, quæ alius præterea nemo vidit, age, dic mihi amabò, an te aurificem, an pictorem, an statuarium, an fidicinem, an architectum, an textorem, an omnino opificem sine magistro fore speras? At quanto ista faciliora sunt omnia, quàm vt summus & absolutus orator euadas sine perorandi artificio? Doctore opus est, & quidem etiam doctore excellenti: qui tanquam digitum ad fontes intendat, & artem perdiligenter tradat ornatè, splendidè, copioseq; dicendi. At quam artem? Quam? Non infinitis implicatam difficultatibus, non otiosis disputationibus refertam, non inutilibus

præ-

præceptis inquinatam, non alienis & extraneis deformatam, non vllis ſordibus contaminatam, non ad noſtrum ipſorum arbitrium, voluntatemq́ effictam, non vnam ex multis tanquam pannis, atq; pellibus coagmentatam, & conſutam: (qualem nobis artem nimis multi Rhetores dedêre: ſi tamen artem nominare licet, quæ ad nullam eſt artis rationem redacta:) ſed breuem, ſed enucleatam, ſed commodam, ſed dilucidam, ſed popularem, ſed exquiſitis definitionibus, accuratis partitionibus, inſignibus exemplis, veluti gemmis, ſtelliſq́; fulgentibus diſtinctam, & colluſtratam, ſed ex eloquentiſſimorum hominum, atque ſummorum Oratorum oratione expreſſam, & quodammodo efflorescentem. Quid ita? Non ſolùm quia grata breuitas, iucunda perſpicuitas: ſed etiam vt minori labore, vt breuiori tempore, vt vberiori fructu ediſcatur, vt altioribus defixa radicibus hæreat firmiùs. Sic enim poëta ingenioſus, in ſua arte:

Quicquid præcipias, eſto breuis. *Quare? Ratio-*

Rationem duplicem adiungit: Vt citò dicta Percipiant animi dociles:teneantque fideles. *Et quidem,vt idem eleganter addit:*

Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Quamobrem vt Agesilaus cerdones reprehendebat,qui exiguo pedi magnum inducerent calceum: sic valdè improbandi mihi videntur ij,qui Rhetoricam tam paucis præceptionibus contentam, tantis institutorum, regularumq; molibus oppresserunt. Aut enim stulti sunt,nec viderũt ipsi,quid esset satis: aut plus æquo mehercule curiosi, neque manum de tabula tollere nouerunt: aut sanè subinuidi, ac maleuoli: & nobilium ingeniorum cruces esse, atq; tormenta cogitarunt.Scitè,etsi non admodum latinè,quicunq; dixit: Ineptũ est,fieri per plura,quod fieri potest per pauciora. *Ego verò non solùm id ineptum dico, vt ille, sed addo in multis, malitiosum, improbum, consceleratum, pestiferum, hominibus perniciosum, naturæ ipsi odiosum. Quid enim tetrius,quid indignius,*

quàm

quàm clarißimũ illud naturæ diuinæ lumẽ, atq; tædas nõ à mortali aliquo, ſed ab ipſo præpotẽti, ac ſempiterno numine accenſas, vel obruere multitudine, vel extinguere obſcuritate præceptorũ? Me certè qui audire volunt, (de generoſis autẽ mẽtibus ſpero optimè) Artes ſibi omnes, nõ modò Rhetoricã, cõparabunt, præceptionũ paucitate breuißimas, vſu, atq; fructu amplißimas, ſermone toto, & vniuerſo orationis genere facillimas, ordinis accuratione, & artificio quàm expeditißimas, ad diſcendũ, ad recordandũ, ad vtendũ, fruendũq; longè cõmodißimas, deniq; fertilitate quadam potiùs, atq; ipſa vitæ communis quaſi publica meſſe vberes, & fæcũdas, quàm pigmẽtorũ flore ſpecioſas. Qualem mihi ferè artem Rhetoricã (quid enim tãtum vos bonũ, & tam incredibile celẽ, meæ fidei cõmendatos?) is, cui ego me plurimùm debere fateor, atq; adeo profiteor, homo in omni iuditio elegantißimus, & in primis politus artifex, Audomarus Talæus, cũ iampridẽ eſt viſus cõcinnaſſe, tum nunc certè videtur maximè: nõ

multarum illam quidem paginarũ, (perbreuis enim est) sed vtilitatis, mihi credite, infinitæ, immẽsi fructus. Nec verò istud iudicij mei testimoniũ existimari velim: est Henrici Schori, spectatißimi viri, & hominis præclarè eruditi: qui libello nuper edito, & Sturmiana præfatione cõmendato, testificatus est, ex omnibus omniũ Rhetoricis, quæ sunt vnquã typis mãdatæ, eã sibi maximè placuisse: vt maximè omniũ artificiosam, & cõpendiariã. Sed quid ego Hẽricũ nomino? Idẽ multi doctißimi viri, & ætatis certè huius planè signiferi, Petrus Ramus, Antonius Foquelinus, Arnaldus Ossatus, Ioannes Thomas Freigius, is, qui eam nuper in tabulas perpetuas, atq; σχώματα quædã retulit, Gulielmus Rodingus, qui Abbati Hirsfeldensi, & Hirsfeldensis scholæ discipulis cõmendauit, Vessodus, qui in sua imitatus est, Beurhusius, qui cõmentarios pollicetur, cõplures alij, in ijsq; Baro noster (sic enim iã factus est) cũ priuatim confeßi apud suos, tũ publicè apud omnes profeßi sunt: alij eã elegantißimã, alij aureolã alij viuã quandã eloquẽtiæ imaginẽ, & auctorem ipsum Apellẽ vocitãtes. Ego margaritã dixerim pre-

ciosam; magnitudine cū paucis lapidibus cōferēdā, nobilitate omnibus, æstimatione, atq; precio singulis præferendā. Illā igitur potissimùm tu, mi generose Tulliole, illam, inquā, illā, vos, inquā, oēs, Mei optatissimi Auditores, non perlegetis modò, vt vtilē, sed ad verbū totā edisce-tis. Opus est perpaucorū sanè dierū, vt vtrunq; perstudiosè faciatis, (alimēta enim, quis nescit? in quibus suauissimus sapor est, facillimè illa quidē cōficiūtur, & in naturā nostrā celerrimè transeūt) fructū autē, ita me amet eloquentia, nec ita multò post incredibilē, & in omni vita perpetuū capietis, ac sempiternū. Nā isti vulgares oratoriarū institutionū lapidarij pro conquisitissimis, & nobilissimis gēmis, quarū tamē ipsarum nominibus gloriantur, molares nescio quos lapides, & ingētia saxa obtrudūt, pistrinis, quā gymnasijs aptiora. Inter quos vnus est perquā ridiculus, Eberhardo illi credo nomē est, neq; enim satis profectò nemini, qui pro Rhetorica Labyrinthum nescio quem typis peruulgatū nobis exhibuit. Sic enim opus suum Rhetoricum inscripsit argutissimus Dædalus.

 Cæte-

Cæterùm Eberhardos, & illam sterquiliniorũ fecem, ne nominemus quidem, nisi in cloaca, & apud homines duntaxat sordidißimos. Ciceronem autem, & Quintilianum, id est proceres nostros, atq; heroes oratorios (ita mihi semper visi sunt, & sic vobis videri velim) cum iuditio lectitemus sano, atq; incorrupto: &, si placet etiam (rogo autem, vt placeat) vtriusq; oratorias artes cum P. Rami acutißimis scholis, quas viginti aureis libris complexus est, tanquam quibusdam amicißimis admonitoribus, euoluamus. Et quia in eodem ferè illo genere est, nec omnino quicquam præteritum velim, quod vobis in itinere cõficiendo vsui esse poßit, adijciamus quoq; ad P. Rami disertißimas scholas, librum etiam quartum Ludouici Viuis de causis corruptarum artium: qui liber est de corrupta, vitiataq; Rhetorica percommodè institutus. Sed tamen istos, & ista tum, cum aureolam illam Audomari Rhetoricam, ad vnguẽ, quod aiunt, perceptam didicerimus. Nam, quod ad illos heroes attinet, quos vberioris cuiusdam

iusdam eloquentiæ nomine ita suspicio, atq; veneror, vt neminem ne Græcorum quidem magis, Ciceronem præsertim, Latij Demosthenẽ: non tam illi quidem, verè vt dicam, artis vnius præcepta tradere, quàm ipsum expolire artificem, & eum omni forensi, senatorioq́; cultu, non solùm oratorio ornatu vestire voluerunt. Itaq; Crassum potius, aut Antoniũ, aut etiam seipsos, homines varijs plurimarum rerum, atq; artiũ institutis abundantissimos, & in foro diu, multumq́; occupatos, quàm Rhetorem, sola dicendi arte excultum, mihi videntur informasse. Cicero verò, vt erat in omni sermone splendidus, tam illuminatè omnia, & tam magnificè in oratorijs libris persecutus est, vt non magis ostẽdere artem, quàm diuitias suas, atq; copias ostẽtare voluisse videatur. Etenim quanta in illis, ô Deus, & quàm lauta verborũ supellex optimorum? quàm insignis varietas sententiarum? quantus structuræ nitor? quàm illustris & admirabilis apparatus vniuersæ orationis? Equidem eos ipse in bibliotheca mea lectitans, non

minùs, quàm in plærisq́ orationibus sæpè; quibus tamen nihil fingi potest vberius; exclamare cogor: ô lacteum flumen: ô nectareum torrentem eloquentiæ. Docet certè quidem interdum; & docet, non vt in schola magister, sed vt orator in rostris, variè, copiosè, splendidè, perpolitè: verùm haud scio an plura ad flectendum, & delectandum, quàm ad docendum, instituendumq́ referantur: permulta etiam dialectica paßim, & philosophica sunt pro rhethoricis allata, & quasi ad cumulum coaceruata. Sed nolo ego iudex esse: Quæramus, si placet, ab ipso. Respondebit, in Rhetoricis, quos in apertum retulit, commentarijs, non pauca esse ex fontibus Dialecticorum, atque philosophorum hausta, non ex Oratorum riuulis omnia delibata. Vultis me agere obsignatis tabulis? vultis audire ipsum loquentem? Quid crebrius, quàm ista apud eum omnia? Oratorias partitiones è media illa Academia floruisse; ab ea Oratorem subtilitatem mutuari; ex illius spacijs, non ex Rhetorum

torum officinis se Oratorem exstitisse; sapienter sentiendi, & subtiliter disputandi artem cum dicendi ratione esse coniunctam; si illam praeclaram, & eximiam speciem Oratoris perfecti, & pulchritudinem adamastis; aut vobis hanc Carneaderam, aut illam Aristoteleam vim esse comprehendendam; & inuenire, & iudicare quid dicas, magna illa quidem esse, & tanquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiae, (notate distinctionem) quàm eloquentiae; diligētem disserendi rationem, hoc est Dialecticam duas habere partes; vnam inueniendi, alteram iudicandi; in quibus non Rhetores, sed Aristoteles, & Stoici elaborauerunt; Memoriam esse communem multarum artium; Oratoris propriam laudem esse in elocutione; cæterarum rerū, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quemq; vendicare; dicēdi autem, id est eloquendi maximam vim soli huic cōcedi, ita tamē, vt eloquentiam illam

corporis

corporis, Actionem adiungat, cui non ſine cauſa Demoſthenes & primas, & ſecũdas, & tertias tribuiſſet: *& propè ſexcenta id genus alia, ſi vacaret in illis commemorandis inſiſtere. Cogitate cum animis veſtris, Auditores, quid tot locis, omni luce clarioribus, non à M. Bruto, non à Callidio, non à Cornificio, non à Caluo, non ab Atticis, qui dicebantur, oratoribus, non à Ciceronis æmulo, aut aduerſario aliquo, ſed à Cicerone ipſo aſſeratur: & facilè omnes in meam ſententiam, etiam pedibus, ſi erit opus, ituri eſtis, non vnius cuiuſdam generis artem ab eo vnam, atq; ſimplicem, ſed variã, multiplicemq́; doctrinam, & quandam copiosè loquentem ſapientiam, ex Rhetorica, Dialectica, philoſophiaq́; conflatam, & coagmentatam adumbrari. Nam ex quinquepartita diſtributione illa, quæ ferè ſola apud maiores noſtros increbuit, quotus iam quiſq; non videt, Inuentionem, Diſpoſitionem, Memoriam, non orationis, ſed rationis, non linguæ, ſed mentis, non eloquentiæ, ſed ſapientiæ, non Rhetoricæ eſſe,*

ſed

sed Dialecticæ? Ita duæ solæ relinquuntur in hac arte propriæ, & germanæ, & quasi natiuæ partes, instar duorum in corpore oculorum; elocutio, atq; Actio: illa troporum luminibus, figurarum conformationibus illustris: hæc modulatione vocis, & dignitate gestus gratiosa: vtraq; admirabili splendore cum in orationibus publicis, tum in priuatis sermonibus amorem sui excitans singularem. Quæ partes ne quintam vtiq; partem efficiunt Rhetoricorũ Ciceronis. Mittamus Heremiana illa, vt Cornificij cuiusdam potius, aut etiam M. Gallionis, quàm illius: Mittamus, quæ adolescentulo exciderunt ex commẽtariolis inchoata, atq; rudia. Legite aureos illos, & perpolitissimos ad Quinctum fratrem de Oratore dialogos: locupletissimam habebitis ornatissimorum verborum, sententiarumq; supellectilem: disputationes multas pulcherrimas, suauissimasq; summa cum voluptate animi perlegetis: amplissimos viros, & florentissimæ Ciuitatis facilè principes, omniumq; consensu prudentissimorum elo-

quentiſsimos, eloquentiſsimorum prudentiſsimos habitos, Licinium Craſſum. Q. Mutium Scæuolam, M. Antonium, Q. Catulum, C. Iulium Cæſarem, incredibili cum admiratione, iucunditateq́; audietis: nec eorum ſermonibus vel argutius quicquam, vel copioſius exiſtimabitis. Verùm ex tribus illis tam limatis, illuſtribusq́; dialogis, ne tertius quidem in illarum explicatione partium conſumitur; ſed ſunt in eo quoq; ipſo, pace tanti Oratoris dixerim, diſputationes quædam glorioſæ magis, quàm neceſſariæ: & tamen lectu, quis negat? non periucundæ ſolùm, ſed etiam vtiliſsimæ. In reliquis partim clariſsimorum ciuium accuratæ collocutiones, atque ſermocinationes expoſitæ; partim alieni corporis adumbrata membra, & ad eloquentiæ, tanquam ad Veneris caput affixa ſunt. Quid dicam de Partitionibus? ſunt illæ quidem admodùm concinnæ, atque elegantes: ſed quæſo, quantula pars de eloquendi, agendiq́; ratione? Legite Audomari explicationes: idem omnes continuò per-

ſpicietis.

spicietis. Omitto Brutum: est enim Latinorum quidam Catalogus Oratorum: Rhetoricæ præcepta nulla ex instituto continet. Prætereo Oratorem: ne illum quidem oratoriam artem, aut eloquentiæ leges aliquas, ad benè dicendum constitutas; sed artificem nescio quem excellentem, atque diuinum, inuestigantem; quem nunquam vidit Antonius, & cuius Idea quædam mirifica in Ciceronis animo, atq; mente insidebat. Nil dico de optimo genere Oratorum: quo libro se ipse optimum probare voluit, & perfectissimum, & planè Atticum Oratorem. Cætera ex P. Rami prælectionibus elicite: non admodùm illis quidem prolixis, sed perquam sanè accuratis. Prætereo alios, siqui mihi fortè ex animo effluxerunt, Ciceronis Rhetoricorum libros. Nonne iampridem, quasi quæ oculis cernerentur, vidistis multa, circulis, quàm scholis aptiora, & eruditorum hominum, atque ciuium sermonibus, quàm magistrorum institutis similiora?

Nonne animaduertiſtis, tanquam in vnam arborem plures ſurculos, ſic in eloquentiā multarum inſitam, & illuminatam artium ſapientiam? Nec verò dialecticam ſolùm adiungit eloquētiæ, ſed velut ad cumulum accedere vult omnium maximarum diſciplinarum facultatē, ſcientiamq́; rerum propè innumerabilium. Legendi poëtæ; cognoſcenda hiſtoria; omniū bonarum artium, etiam Mathematicarū, Phyſicarumq́;, & niſi fallor, Metaphyſicarum quoque, ſcriptores & legendi, & peruolutandi; & exercitationis cauſa laudandi interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; diſputandumq́; de omni re in contrarias partes: perdiſcendum ius ciuile: cognoſcendæ leges: percipienda omnis antiquitas: ſenatoria cōſuetudo, diſciplina Reipub. iura ſociorum, fædera, pactiones, cauſa imperij cognoſcenda eſt: libandus eſt etiam ex omni genere vrbanitatis, facetiarum quidam lepos, quo tanquam ſale perſpergatur omnis oratio: denique ſcientiarū

ille

ille orbis, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant,
& ſiquod eſt aliud præterea ingenij, litera-
rumq́; curriculum, eſt conficiendum Ora-
tori vniuerſum: in eo acumen dialectico-
rum, ſentẽtiæ philoſophorum, verba prope
poëtarum, memoria Iuriſcõſultorum, vox
tragœdorum, geſtus pæne ſummorũ acto-
rum eſt requirẽdus: & quæ ſingularũ rerũ
artifices ſingula ſi mediocriter adepti ſunt,
probantur, ea per Deos, niſi omnia ſumma
ſunt in Oratore, probari non poſſunt.

*O artem artium, ô doctrinarum doctrinam elo-
quentiam; quæ quoſcunq; fueris complexa, eos
tu non cum diſertiſsimis Oratoribus, nobiliſsi-
misq́; æquas, ſed planè diuinos homines, Deoq́;
immortali ſimillimos videri facis. Ac Heſiodi
quidem Pandoram mihi deſcribis M. Tulli,
dum eam introducis eloquentiam, quæ, tanquã
è Iouis gremio delapſa, omnibus naturæ, ſtudij,
doctrinæ, conſuetudinis, fortunæ ornamentis,
atq; bonis circũfluat; cui vniuerſa adſint Deo-
rum, Dearumq́; præpotentiũ dona; cuius pectus*

 varijs

varijs Apollo, & Mineruà artibus, disciplinisq́ instruxerint; linguam Mercurius expoliuerit; capiti Venus speciosam comam, ori eximiam pulchritudinem, venustatemq́ afflarit; quam Horæ sertis redimierint, atque rosa; cuius niueo, argenteoq́ collo aurea Charites monilia imposuerint; quam Peitho, & illa nescio quæ Suadæ medulla apud homines, atque superos gratiosam, amabilemq́ fecerit; cuius denique reliquum omnem ornatum, mundumq́ Pallas, atque Musæ suppleuerint; & quæ sit, vt vno versu complectar omnia,

Chara Deûm soboles; magnum Iouis incrementum.

Hanc tu, inquam, Pandoram, non artem, non facultatem vnam describis, M. Tulli, dum artes numero tam multas, amplitudine tam illustres, genere ipso tam dissimiles, atque dispares ab oratore tuo requiris: non vt ad maiorem quandam admirationem honorificas, sed propemodùm vt necessarias. O tuum

beatissi-

beatißimum, diuinißimumq́ Oratorem, qui Virtute duce, Comite fortuna, ad tantam, tamq́ egregiam aſpirauit præclarißimarum laudum excellentiam. Vis apertè dicam, quod ſentio? Teipſum, teipſum depingis, M. Tulli, tot, tantis, tam varijs vndique bonis, vt mænibus, circumſeptum, tanta rerum ampliſſimarũ copia abundantem, tam multis artibus exaggeratũ, tam philoſophicũ rhetorẽ, tam rhetoricũ philoſophum, tam deniq; omnibus numeris, vel teipſo iudice, abſolutum, & cumulatum oratorem: cui lingua, cui animus, cui omnia, vt aiunt, eſſent in manu: quem S. P. Q. R. *admiraretur, celebraret, in cœlo poneret: ad quem, tanquam ad aſylum quoddam auguſtum, & ſacroſanctũ omnes rei cõfugerent, & cuius ope qui vteretur, hominem tutò poſſet occidere. Ciceronẽ informas, mi Cicero, non informas Rhetorem, ſola eloquentia, dicendiq́ facultate præcultũ & perpolitũ. Sed neſcio quo modo tui oris Maieſtatẽ, et illã priſtinã M. Tullij amplitudinẽ, auctoritatẽq; pertimeſco, vix vt te alloqui*

nunc

nunc audeam confidentiùs. Cæterùm quid si ipsa tecum sic ageret etiamnum eloquentia? (quanquam facio sanè perineptè, qui eloquentiam introduco loquentem, quæ, nisi eloquentissimè, loqui non potest, cum hic loqui cogatur impolitiùs) fac tamen ipsam te eloquentiam, si non istis ipsis verbis, qui enim potest tam inconditis? at eadem hac saltem ratione compellare. Quid agis, M. Tulli? cur me proprijs ornamentis, insignibusq; contentam, sororum mearum opibus, atq; gazis locupletas? cur me inuitam in alienas possessiones detrudis? cur extra præstitutos fundi mei terminos, atq; limites euagari facis? cur mea prædia, quæ ego semper amœna potiùs, & pulchra, & bellè ædificata esse volui, quàm ampla atq; vasta; pro arbitrio tuo dilatas? cur communis æquitatis sanctissima præscripta violas? cur Iustitiæ diuinam legem perrumpis? cur eius repagula sacra perfringis? cur Aristotelis tui, acutissimi hominis, ἀποδεικτικὸν illud καθ' αὑτὸ respuis? cur mihi meo regno, non magno illo quidẽ, sed splendido,

& florentißimo contentæ, mare, terras, aërem, cœlum, omnia ſubijcis? cur quibus ipſa & debeam, & velim morigerari, eas ſub meum imperium, ditionemq́; ſubiungis? cur ſorores, natu grandiores, auctoritate maiores, partu fæcundiores, facultatibus ditiores, Dialecticam, Mathematicas, Phyſicam, Ethicam, Oeconomicam, Politicam, Iuriſprudentiam; dignitate & honoribus inferiores, abiectioresq́; facere moliris? imo cur eas ſpolias, atq; denudas ſuis opibus, vt me, vel te potius ornare, ditareq́; videaris? Hoccine credibile eſt, aut memorabile, tanta vecordia innata cuiquam vt ſiet, Vt malis gaudeat alienis, atque ex incommodis alterius ſua vt comparet commoda? hoccine eſt humanum factum, aut incæptum, hoccine officium ſororis; *ſorores natu maximas, virtute ſpectatiſsimas, ſuis ipſarum fundis, atq; prædijs exturbare? Non faciam, M. Tulli, non faciam. Viuam meis ipſa contenta herbis, atq; floribus: non ſororum fructus demetam, non vectigalia minuam, non*

honores nõ ærarïa depeculabor, non fana compitabo, non domos, & prædia exinaniam, non veras dominas de ſua poſſeßione deijciam, non tantam cariſsimis meis iniuriam imponam: ſatis eſt, ſiquam ſum ipſa iampridem nacta Spartam, eam ornem, recolamq́; accuratiùs. Tribuamus, ô mi Cicero, ſuum cuiq; : & quod erit Rhetoricum, Rhetoricæ; quod Dialecticum, Dialecticæ; quod ab alijs ſororibus, affinibusq́; mutuatum, id illis ipſis, à quibus mutuati ſumus, acceptum referamus: neminem ſua debita laude, meritisq́; præconijs ſpoliemus. Nolo ego alienis plumis gloriari: non me quiſquam Æſopi corniculæ comparabit: non aquilæ, non accipitris, non ſtrutiocameli, non auis cuiuſquam pennas oſtentabo: cum meas habeam vel picta pauonis cauda, & illis Argi ſtellantibus oculis pulchriores. Nimis me ardenter amas, mi orator; & cæca quadam amoris, obſeruantiæq́; vehementia, (ſic namque interpretari libet) non ſolùm meis me ornas laudibus, verùm etiam oneras alienis. Sed

dic mihi, amabò te, ſiquem Apellem, aut Zeuſim, magno precio conductum, ad Tulliolæ tuæ ſimulacrum pingendum, efformandumq́; adhiberes; & is abundantia quadam amoris ſcilicet, pro tenera, & delicata, & gràcili puella, fœminam, non illam quidem, excepta magnitudine, admodùm deformem, aut etiam cæteroqui valde ſanè formoſam, & candidiſsima cute præditam, ſed tamen grandem, & proceram, & craſſam, & virilem, magno capite, vultu heroico, eminentibus oculis, oblongo collo, latis humeris, validis lacertorum toris, ingenti, & muſculoſo pectore, toto corpore vaſto, & propè Cyclopico exhiberet: an eam tu imaginem probares, non pictorem aſperioribus verbis perſtringeres, non contumeliosè tractares? Si eidem à veſtiario pallam elegantem, & virginalem velis, quali olim Gracchorum mater Cornelia, iam puella vtebatur; & ille togam ſenatoriam, aut philoſophicum pallium offerat, aut etiam muliebri veſti tunicam virilem coagmentet,

nonne tibi ſtomachum moueret? Nonne irrideres eum ſutorem, qui illius exiguo & tenello pedi, ingentem calceum, & ex multis mulierum mulierum calceamentis conſutum, aut cothurnum heroicum, atque tragicum induere conaretur? At per Deos, talem te mihi pictorem, talem veſtiarium, talem ſutorem præbuiſti, M. Tulli: multò me grandiorem, & quodammodò pinguiorem, craſſioremq́; reddēs, quàm reuerâ ſim, & ita mihi circundans omnia, quaſi Polyphemi cuiuſdam eſſem filia, & magnitudine vellem cum Ætnæis gygantibus concertare. O te, & mei, & tui nimis amantem, M. Cicero, qui tantam me, & tam proceram, & tam vndique ſeptam ac munitam eſſe voluiſti, vt tute maximus omnium mortalium videreris: & quod tantopere tantis ſtudijs, lucubrationibus, vigilijs, curis, tam multis, atque magnis dicendi, ſcribendi, commentandi, peregrinandi laboribus conſectatus es, nomen obtineres perfecti, ſingularisq́; Oratoris. Quod etſi tibi quidem perlibenter conceſſero,

cessero, mihi tamen vni nolim referas acceptum, quod multarum erat artium beneficium. Quid enim si te ex iure manu consertum vocaret acutissima mea soror Dialectica, quòd in aliena latifundia temerè irruens, eam solam causam tantarum possessionum feceris, quam illa vix summam esse concederet, singularem nullo modo? Nonne huiusmodi tibi facilè vocem eliceret? Ratio præsit: Appetitus obtemperet: tibi tua, sua cuique tribuantur: mea me ambitio fefellit: Erranti sit medicina confessio. *Solebas esse Academicus: &, si non fuisses, tamen æquum esset, ei vt arti fidem adiungeres, quam tam sæpe ipse veri, ac falsi disceptatricem facis, atque Iudicem. Ad hunc modum, sed suis verbis, id est elegantissimis, si ipsa illa tecum flexanima ageret eloquentia, M. Tulli, nonne rem acu tetigisse, &* τυγχάνειν τοῦ σκοποῦ *videretur? Verùm te Aristotelis tui credo, ingeniosissimi hominis, exemplo, atque auctoriate excusabis: qui nec pauciora fere ab oratore re-*

quirit, quàm tu requiris, (exstant eius Rhetorica, satis id clarum est) & eloquentiam maximarum rerum, atq; artium forensibus cancellis circumscribit. In quo quidem non tam teipsum excusare (erumpet enim vera vox) quàm auctorem tuum videberis, atq; doctorem accusare. Quanquam quis nescit Aristotelici erroris seminarium, qui de illius studijs, docendiq; ratione quicquam inaudiuit? Emergit, non tam consilio id, quàm æstu quodam animi, atq; æmulatione esse factitatum. Cæterùm à teipso, si placet, & nisi tibi molestum est, veritatem expiscemur. Aristoteles, qui disserendi plurima præcepta tradidisset; qui mētis acie rerum omnium vim, naturamq; vidisset; qui ingenij, scientiæq; abundantia præstitisset; qui in philosophia propè singularis exstitisset; qui dicendi artem despexisset; qui in ea parùm vidisset; qui suo studio delectatus, contempsisset Rhetores, (*agnoscis verba*) motus tandem Isocratis Oratoris gloria, cui infensissimè aduersabatur,

tur, dicere etiam cæpit, adoleſcentes docere, & prudentiam cum eloquentia iungere. *Non quòd reuerâ vnam vtriuſque artem exiſtimaret, aut quòd magni iam faceret eloquentiam*, ad quam prudentiam potiùs, quàm vſum adferebat (*id ipſemet prodidiſti*) *ſed vt maiora quædam præſtare, multoq́; plura, quàm ille, videretur, cuius æmulatione incitatus, Rhetoricæ quoque ludum aperire cogebatur*. Nam germani huius artis magiſtri (*recognoſce tua verba*) in hac vna ratione tractanda habitarunt, non eadem prudentia, qua ille, ſed vſu in hoc vno genere, ſtudioq́; maiore: & ſola tum quidem ornamenta tradebantur ab ijs, qui dicendi numerabantur doctores: alia erat intelligendi, alia dicendi diſciplina: & ab alijs rerum, ab alijs verborum doctrina quærebatur: nec fuit etiamnum philoſophia cum eloquendi præceptis conglutinata: *Proceſsit in medium Ariſtoteles: Iſocratis honori, atque nomini inuidebat: ad*

infinitam ambitionem ſitienter admodum incumbebat: omnia doctrinarum genera, non modò eloquentiam profitebatur; in iisq; ſingulis mirificas conſectabatur argutias: ſuperiorum Rhetorum, in primisq; riualis ſui inſtitutionem reſpuebat; nouam captabat; & ſua quædam inuenta partim Dialectica, partim Ethica, partim Politica, partim deniq; Rhetorica, (quanquam minimus erat eorum numerus) vnum in locum, veluti agrum, comportata, diſſeminabat: tanquam hæc ſine illis leuicula, & nugatoria, & pæne pueritia iudicaret. Poſtremò quod tu in oratorijs dialogis, ad eius, credo, imitationem, atque exemptum feciſti (vis enim ibi magnus videri Ariſtoteleus) idem ille multò ante in ſuis Rhetoricis commentarijs, qui ſunt Theodecteo nomine peruulgati: quæ Rhetorica ſunt, in tertium, atque vltimum librum, tanquam in aliquod piſtrinum detruſa, & in exiguum compulſa gyrum, compinguntur: cuius tamen etiam ipſius vix, aut ne vix quidem tertiam partem auſim

rheto-

rhetoricã vsurpare. Tam sunt multa hic quoq; vt græcè dicam, ἄκυρα, & πάρεργα, & ἑτερογενῆ. Ita non Rhetoricam, seorsùm per se distinctam, sed simul cum alijs artibus confusam explicauit: & quæ præceptis disiungi, vsu solo coniungi, & in hominibus, non in libris debuissent, ea nescio quo institutionis vinculo inter se constricta, atque connexa colligauit: perindè quasi tomaclum quoddam ex illis, aut farcimen efficere cogitasset. Nimirùm vt eius ludum, è quo, tanquam ex equo Troiano, tot egregij Principes exijssent, vel in odium isto modo, vel in contemptionem adduceret; & quæ ille prætermisisset, acutè multa reperisse, præclarè addidisse videretur. Vides M. Cicero, Aristotelici instituti rationem; tuam illam potiùs, quàm meam; at erroris tui indicem sanè locupletissimam, quis non videt? verùm, vt dixi, non tam meam, quàm tuam; si vnum in locum cogere patiaris, quæ sunt varijs apud te locis sententiæ dissipatæ. Nam quid Phrysium illum, tota Europa

celeberrimum, atque clariſsimum, Rodolphum Agricolam commemorem, virum tibi quidem incognitum, ſed noſtra memoria ſpectatiſsimũ, & ingenio, omniq́ doctrina præcellentem, ac planè Varroni tuo ſimillimum: qui rem totam paulò altiùs repetens, & eam quaſi ad viuum reſecans, oſtendit, quo modo in Græcia primùm, nondum in artis formam redactis diſciplinis, & florentibus, vigentibuſq́ ijs, qui optimè cauſas in foro, copioſiſsimeq́ agerent, compendij cuiuſdam cauſa, quædam inueniendi, diſponendi, atq́ eloquendi capita, & communes quaſi loci, colligerentur: quorum ſubſidio meliùs poſſent in ciuilibus negotijs, iudicijſq́ forenſibus conſiſtere, qui non ita magnum in literis ſtudium ponentes, ſubitò tamen ad dicendum emergere, & in ciuium ſuorum oculis, atq́ auribus habitare voluiſſent? Non quòd artem iam vnam, & certam, & definitam haberent, quæ Rhetorica perhiberetur: ſed quòd hoc qualicũq́ modo inſtructiores ſe ad perorandum, paratioreſq́ acceſſuros exiſtimaret. Quid

dicam, in eorum vestigijs imitatione quadam, vt fit, ingredientem posteritatem, eandem omninò rationem, atq; viam esse persecutam, nō vt Rhetoricæ propriam, sed vt ab illis primis, rudibusq; rhetoribus, aut potiùs sanè causidicis præmonstratam? Quid disputem, partim auctoritate maiorum, partim inertia posterorum, & tibi, & nobis errorem esse propagatum? Si reuiuiscere posses, M. Tulli, & Caput illud aureum legere secundi de Inuentione, vbi docet nullam esse Rhetorum propriam Inuentionem, sed è Dialecticorum vberrimis, liquidissimisq; fontibus hauriendam, non dubito, quin tu statim in tam nobilis, & acutæ disputationis diuersorio acquiesceres, & mirificas Rodolpho gratias ageres, qui tam difficilem atq; contortum nodum tam concinnè expediret. Præsertim si Orationem etiam illam luculentam consuleres, quam apud illustrissimum, atq; magnificentissimum Principem, Herculem Estensem, Ferrariæ Ducem multis subauscultantibus amplissimis, litteratissimisq; viris habuit; in

laudem Philosophiæ, optimarumq; artium concinnatam. Sic enim nimirùm ait: Mihi quidem sententia illorum minimè omnium videtur abhorrere à vero, qui, quicquid Orator sibi de Inuentione vsurpat, id proprium esse Dialecticæ putant. *Quid planiùs dici potuisset? Mihi verò in tam aperta veritatis luce, rem cæteroquin abditam, & abstrusam, atque multis errorum difficultatibus inuolutam collocasse videtur, vt vel isto nomine soleam Rodolphi nomen (quod vnum mihi concessum est) amplissimis verborum honoribus decorare. Neq; enim quenquam ferè dixerim de politioribus Musis præclariùs esse meritum. Sed quid ego tam diu Ciceronis manes appello: præsertim horologio iamdudum ipso silentium indicente? Ad vos redeo, carissimi Auditores: quos primùm velim in amænissimis Audomari hortulis educari, vtpotè omnibus Aquilarum, Luporum, Capellarum, aliorumq; brutorum Rhetorum latibulis, in quibus tamen plæriq; delitescunt,*

longè

longè commodioribus, atque suauioribus: deinde, si lubet, & si otium est, exspatiari in Xisto, & immensos illos, amplissimosq́ latinorum, ac Græcorum campos; in primisq́ Ciceronis, & Quintiliani, Aristotelis, & Hermogenis, &, si vacat etiam, Demetrij Phalerei, Dionisijq́ Halicarnassæi magnifica, & sumptuosa prædia, & rebus multis ornata non necessarijs, sed tamen ad speciem, atque pompam, gloriosis, peragrare. Absit, vt tantis cuiquam bonis interdicam; aut cuiusquam studia retardem, in illorum latissimis, nobilissimisq́ spacijs versari cupientis. Tantùm Rhetoricam vobis commendo, quam initio ediscatis, quam semper in manibus, in oculis, in ore, in memoria habeatis, quam velut certissimam regulam, atque normam sequamini, breuissimam, accuratissimam, vtilissimam: cuius quasi diuino auspicio, non modò in illorum, quos nominaui, artibus enodandis, sed in hominũ ex omni memoria eloquentissimorũ, & clarissimorũ scriptis peruoluendis, multò cõmodius

poßitis, fœliciusq; volutari. Præsertim si eos duces, atq; moderatores adiūgatis, qui vobis tāquā de via declinantibus rectā semitam ostendant, & quos ego semper in consiliū adhibui, P. Ramū, L. Viuem, R. Agricolā, homines omnibus meis scriptis, atq; orationibus perpetuò celebrādos. Quanquā ipsum etiā Audomarū debebitis de oratorijs ad Quinctū fratrē dialogis, deq́; elegātißimis partitionibus cōsulere: qui libri sunt ab eo diuinis explicationibus perpurgati. Hos enim quatuor si auctores sequemini, vix, aut ne vix quidē vnquā aberrabitis. Sed initio vobis, & ante omnia margaritā, vt dixi, illā cōmēdo, magnitudine perexiguā, dignitate cumprimis nobilem, atq; preciosam. In ea sunt προπαιδεύματα, *quæ vocant,* ῥητορικὰ *perartificiosè impressa & insignita: nec verò quicquam adhuc apparuit, quod quidem ad artificij rationem attinet, emēdatius. Quid quæritis? Gemma est: non Susenbroti, aut Mosellani, sed potißimi artificis.*

Facta manu, puraq; magis perlucida gēma.

Atq; hæc de artis, doctrinæq; præceptis: quibus

bus ſecundum in partitione noſtra locum attribuimus. Ecce autem derepente nunciũ, ac viatorem, qui non ita procul à foribus abeſſe clamet, regio comitatu ſeptam, eam, quam quæritis, Eloquentiam. Magnificentiſsimo eſt opus apparatu: quo tantam, & tam illuſtrem Reginam, ita ſtipatam, ornatamq́ excipere debeamus. Hoc ſaltem biduum concedendum eſt, ad apparanda, inſtruendaq́ omnia, quàm fieri à nobis poteſt honorificè. Ac tum quidem, ſi videbitur, cum Exercitatione, *illius robuſtiſsimo ſatellite agemus, vt rectâ vos ad Dominam ſuam, atq; adeo noſtram ducat Eloquentiam; in eiuſq́ auguſtiſsimo conſpectu collocet vniuerſos. Quocirca Naturam interim, atque Artem debebitis, tanquam duo prima, & in primis neceſſaria inſtrumenta, quàm poteſtis fouere indulgentiſsimè. Operæprecium erit, mihi credite.*

DIXI.

Secundus Dies, de Exercitatione Rhetorica: *quo die maior videbatur,* quàm vnquam antea doctiſsimorum *hominum exſpectatio.*

EXſpectatis, ſat ſcio, mei Auditores, (vos enim, non hos appello grauiſsimos viros) vt interruptum orationis meæ curſum quàm celerrimè conficiam, inſtrumentumq́; illud tertium ſubminiſtrem, quo ſolo caretis ad inſtitutum iter faciẽdum. Dixi non ita procul à foribus aſtare Eloquẽtiam, illuſtri comitatu munitam, ſeptamq́; fortiſsimis ſatellitibus: ex quibus vnus ille eſſet quamprimùm conueniendus, cui Exercitationi nomen eſt. Video vos cum incredibili quodam, ſingulariq́; illius deſiderio flagrantes accurrere, quam tam eximia laude celebraui: tum verò ſatellitis iſtius, & ſtipatoris, qui vos protinus ad ipſam perducat, admodùm eſſe cupidos, atq; ſtudioſos. Benè, & præclarè habet. Ecce vobis hilari vultu, ſerena frõte, porrectis mani-

manibus, ſumma feſtinatione occurrit, longè veſtri amoris amantiſsimus. Videte, quàm pulchrum in vtraq; manu, & quàm precioſum vobis inſtrumentum apportet, dignitatis, ſplendoriſq́; ſui inſigne ſempiternum. Haud ſcio, an quod in dextra cernitis, Analyſin; quod in ſiniſtra conſpicitis, Geneſin vſurpare, mutuatis à Græcia vocabulis, debeamus. Sic enim, niſi fallor, memini, qui in auguſtiſsima eloquẽtiæ Aula verſantur, iamdiuq́; ſunt regali eius imperio, auctoritateq́; comprehẽſi, ſatellitis illius inſtrumenta nominare: & vtriuſq; vſum eſſe perhibent ampliſsimum, atq; vberrimum. Nec deſunt, qui ſine illis, Naturæ igniculos facilè extingui, artis, doctrinæq́; flores & ornamenta flaceſcere; eloquentiam ipſam frigere putent; nec ſuccum modò, atq; ſanguinem, ſed etiam colorem omnem, caloremq́; amittere naturalem. Ac ferunt quidem ex nobilitate vnum, is erat Laurentius Valla, vt opinor, (neq; enim certò comperi) dicere ſolitum, quatuor illa Ariſtotelis Topica inſtrumenta, *tanto ſcholarũ*

applauſu, atq; ſtrepitu iactata, nequaquam eſſe cum hijſce duobus, vel vſu, vel dignitate conferenda. Nam de meipſo quid dicam, Rhetore omnium minutiſsimo? Quid de familiari meo, (ſed nolo hominem nominare, certè philologus eſt) qui ea ipſa conſueuit in omni ſermone ὄργανα ὀργάνων, ϗ τῆς ῥητορικῆς χεῖρας appellare? Audite potiùs, qua vos ſatelles iſte, huc aduentans, oratione alloquatur, & quibus ad ſeſe argumentis inuitet, atq; allectet vniuerſos. Malo namq; ipſummet vobiſcum, qui ſe optimè nouit, ſuamq́; poteſt cauſam acerrimè tueri, corâm agere; quàm eum, quicum non ita valde familiariter vixerim, fucatis coloribus, atque rudi penicillo adumbrare. Nec verò eſt, quod Moriæ encomium cuiquam in mentem veniat, aut ſtultitiæ aliqua nota Exercitationi inuratur, ſuarum laudum buccinatori: cùm M. Tullium videamus, hominē philoſophum, prudentiſsimum ciuem, honoratiſsimum Conſularē, grauiſsimum ſenem, res ſuas geſtas, & præclarè facta, ſelectis ad id ornatiſsimis, ſplendidiſsimiſq;

misq́; verbis, pleno, vt sic dicã ore, & quasi sufflatis buccis decantare. Legite orationem in L. Pisonem: & cum toties, Ego, Ego, Ego, tam de seipso honorificè, glorioseq; audietis, cum magnificentissima sui Consulatus, in eoq́; clarissimorum facinorum prædicatione: facilè vos quidem Exercitationem patiemini, cuius ille potissimùm ope, atque opera tantus euasit, suæ gloriæ præconium, &, si velit sanè, panegyricum adornare. Mihi saltem non ineptum videtur: vel quia ego tantò ineptior sum: vel quia alterius magis, quàm meijpsius oratione delector. Quanquã, si id non esset, quod tandẽ certius, aut luculentius esse potest, quàm ipsius virtutis de virtute testimoniũ? In quam sẽtẽtiã egregiè disputãt duo nobilissimi Aulici, Gasparus Pallauicinus, & Ludouicus Canossa, in Aulico Castilionis; quo nihil hi oculi viderũt in eo genere excellẽtius. Sed quorsum ista tã multa in re tã nõ dubia? Vos tanti quãprimùm, & tã generosi satellitis, atq; adeo herois, (nã sic vobis eũ videri velim) orationẽ ipsã attẽditote.

Ac Harueium interim veſtrum aut penitùs obliuiſcimini, aut ſaltem auditorem eſſe putate, non oratorem.

Exercitationis Concio.

COnueniſtis hodierno die, Cantabrigienſes, vt in Heræ meæ nobiliſsimam familiam, celeberrimamq́; Aulam, in qua etſi Naturæ, Artiq́; primæ, mihi tamen priores deferuntur, meo potiſsimùm ſingulari beneficio poſsitis cooptari. Amplector ego ſtudia, ac voluntates veſtras: nec vos profectò aut earum aliquando, aut huiuſce diei pænitebit. Etenim ſi mihi dicto eritis, quod neutiquam deſpero, audientes, & quæ ego vobis munera, officiaq́; imponam, ea diligenter, vt par eſt, exhaurietis: efficiam, ita me amet Hera, & ego Heram, vt in politiſsimorum Rhetorum, Oratorumq́; coronam aggregemini, ſitiſq́; meæ Dominæ alij quidem à manibus, alij ab epiſtolis, à ſacris alij, alij à legationibus, alij à cõcilijs, alij ab alijs, omnes

à præclaris, honoratisq́; functionibus. Proponite vobis Romanos Oratores, id est, rectores, atq; principes florentissimæ Reipublicæ. Vultis grauitatem Scæuolæ, Crassi amplitudinem, vrbanitatem Antonij, leporem Cæsaris, M. Tullij in eloquendo copiam, Hortensij in agendo dignitatem? Intuemini Græcos, Romanorum magistros, seu potiùs orbis terrarum, cunctarumq́; gentium præceptores. Vultis admirabilem illam Isocratis, aut Phalerei suauitatem, subtilitatem Lysiæ, acumen Hyperidis, Demadis facetias, sonitum, splendoremq́; Æschinis, vim Demosthenis, sua quædam orationis fulmina, instar Iouis cuiusdam, emittentis? Omnia ego vobis, sola annuente Hera, suppeditabo. Vultis tonare, vt Pericles, fulgurare, permiscere Angliam, vt ille Græciam? Vultis M. Callidium elegantia, & venustate sermonis, diuinitate loquendi, Tyrtamum illum, cognomento Theophrastum; orationis æquabili, & sedato cursu Platonem ipsum, Xenophontemq́; Socraticum; Aristophanem, & Lucianum sa-

 libus,

libus, omniq́ festiuitate superare? Vultis in Academiarum subsellijs, atque cathedris; in templorum suggestis; in rostris omnium iudiciorum, consiliorum, comitiorum, concionum; in senatu; in foro; in causis omnibus publicis, ac priuatis dominari? Macti virtute: quæ liberos, quæ generosos, quæ nobiles, quæ oratores scire æquum est adolescentes, solertes dabo: faciamq́, vt summis honoribus circumfusi, longè ornatißimam, florentißimamq́ vitam propagetis. Sed audistisnè quæso, vt olim Hercules ille Gallicus, quem Celtæ sua lingua Ogmium nuncupabant, ingentem hominum multitudinem, atq; cœtum, non ferreis vinculis, sed quibusdã à lingua religatis, ex auro, electroq́ catenulis, auribus ad sese tractum, quo is cunq; vellet, circumduxerit? Allegoria est, Cantabrigiensis; & linguæ eloquentis effecta continet, aures ad se omnium allicientis, ijsq́ vincula quasi quædã inijcientis tenuia, & periucũda: ita vt qui sunt illis leuiter constricti, ne velint quidem ipsi aufugere, si poßint maximè; sed vltrò, & sua spõte

ducen-

ducentem insequantur, & tanquam numen aliquod cœleste colant, suspiciant, admirentur, obstupescant. Quid mirum? Porrigitote mihi linguas vestras: & sic eas acuam, atq; procudã, vt, sicut Magnes sua quadam naturali, & ingenita virtute ferrum; vnde est à quibusdam lapis Herculeus vsurpatus; sic hominum non dico aures, (quanquam eas quoque) sed animos, intimosq; sensus ad sese rapiant; eorumq; voluntates, atque mentes, quocunque incubuerint, impellant, vnde autem velint, deducant facilè. Memoriæ proditum ab antiquissimis scriptoribus est, Orphei suauissimo cantu feras, nemora, amnes, lapides, montes vnum pariter in locum gestientes, exsultantesq; confluxisse, voluptate illa eximia, & incredibili commotos, atq; incitatos.

Sed placidis hominũ dictis fera corda mitigauit,
Doctaq; vitã voce temperauit,
Moresq; agrestes expoliuit Orpheus.

Vt præclare in Epigrãmatis poëta nobilissimus.
Sic vbi tradunt Amphionem, fidibus canentem,

saxa

saxa compulisse, quo vellet: & quendam magnum virum, Theseum fortasse Atheniensem, (neq; enim certò constat) feros, atq; immanes homines, in montibus, ac syluis, belluarũ instar, dissipatos, in certum locum, tanquam in ciuitatem susceptes, congregasse: nil aliud significarunt ingeniosi homines, quàm quod de Orpheo commemoratum est, illorum siue prudenti eloquentia, siue eloquenti prudentia effectum esse, vt importuni homines, atq; barbari, paulo iam mansuetiores facti, ciuilia instituta colere inciperent, seq́; humaniori quadam disciplina, & sanctissimis legibus, atq; edictis contineri paterentur. O egregium, & admirabilem fructum disertæ orationis: sed quem mihi profecto referre potissimum debeant acceptum, nisi velint tanti immemores esse, & tam diuini beneficij. Omnis enim illa concitandorum, flectendorumq́; animorum ratio; omnes sensuum percutiendorum machinæ; omnes inflammandarũ mẽtium faces ab Exercitatione accensæ sunt: nec tantas esset quisquam vires, tantumq́; robur

sine

ſine meis lacertis conſecutus. Nulla ſine me ὄψεποιΐα, nulla γοητεία, nulla ψυχαγωγία vnquã fuit aut eſſe aliquando potuiſſet. A me cunctæ oratoriarum commotionum procéllæ diminarũt. Veniam ad maiora: ſi qua tamen maiora maximis eſſe poßint. Nunquã mehercule ſine Exercitatione Mercurius; is, qui Græcè τρισμέγιστος vocari meruit, & quem certum eſt, hominem fuiſſe in ſuadendo præpotentem; aut Deus Eloquẽtiæ perhiberetur; aut Deorum interpres, atq; internuncius conſtitueretur; aut blandæ repertor cythareæ putaretur; aut in lapidem Battum mutaret, eumq; ex homine loquacißimo mutum, & elinguem redderet: aut Argum illum Centoculum, vt Poëtæ verbo vtar, ſomno conſopitum, ac pænè ſepultum trucidaret; aut ſapientem Prometheum Caucaſo alligaret. A me ille galerum; à me alas; à me caduceum; à me talaria accepit; & quibus vtiq; abundat, poëtarum epitheta, atque cognomina vniuerſa. Quid dicam de Heræ meæ conſobrina, politioris literaturæ vel Dea, vel Regina Pallade?

Ecquisnam ei alius vel ægidem, vel angues, vel castitatẽ, vel facũdiã, vel arma bellica, ciuiliaq́ tribuit? ecquis Athenas, ecquis Romam, ecquis Lutetiã, Argentoratũ, Cantabrigiã, ecquis sanctissima literarũ delubra, & augustissima templa illius numini consecrauit? Certè nemo. Et vultis audire de Musis? Non Musæ sine me Musicæ; de Athenis? nõ Athenæ Atticæ; de Apolline? nõ Apollo Phœbus diceretur. Quæ putantur omniũ maxima, & sua omnes admiratione captos detinẽt: vix illa cuiquã aliqua, certè omnibus omniũ minima viderentur, nisi ego essẽ omninò maximus. Quorsum oculos, atq; ora in me conuertitis? quid tollitis manus? An hæc vobis incredibilia, an potiùs vidẽtur suspiciẽda? At consulite vestros oratores, historicos, poëtas, philosophos, omniũ generũ, atq; gẽtium scriptores celeberrimos: quæ maximè iactant, in omni sermone prædicant, laudibus ad cœlũ extollũt, ea se mihi omnia, atq; singula debere fatebũtur: Suadelã, Musas, Charites, Heliconẽ, Parnasum, Pegasum, Apollinem, laurum, togam, linguam,

guam, quid nõ? Tantopere semper apud omnes in omni ætate valuit Exercitatio. Sed vultisne adhuc plura? Annuite: sat est. Video placere vobis, vt descendã ad singulos. Quid si initiũ faciã à Socrate? Quis enim nescit, vnde Socrates; cuius clarissimo nomine Platonis, Xenophontisq́ dialogi sempiternæ hominũ memoriæ sunt cõmendati; cũ Alcibiadis sui, iam ebrij testimonio, (in vino autẽ, vt aiunt, veritas) lõgè omniũ mortalium eloquentissimus, & planè in dicẽdo Deus; tũ Apollinis ipsius oraculo, sapientissimus sit iudicatus? Non detraho illi ingenium, de eo statuat Zopyrus Physiognomon: non de arte, quicquã derogo: quanquã ipse, scientiã suã tegens, nullã audet agnoscere: sed quis eo magis in poëtis lectitandis, recitandisq́ assiduus? quis in Rhetoribus audiendis, euoluendis, laudandis, vituperãdis, corrigendis, refellendis, exagitandis diligentior? quis in scribendo, dicendo, commentandoq́ accuratior? quis aut frequentior, aut acrior in colloquijs, in disputationibus, in dialogis? quis tam prõptus, atq́ dicax in circulis,

in sympoſijs, in conuiuijs? quis in iocando vrbanior, experientior in cauillando? quis in omni ſermone vel potentior, vel amabilior? Aristophanes in Nubibus non dubitauit dicere, Euripidem, qui dicitur, non eſſe Euripidem, ſed Socratem eſſe Euripidem: eumq́ tragœdias panxiſſe, quæ Euripideo nomine diuulgatæ exijſſent. At cui vestrum Ciceronis illud obſcurum; ſingulos Euripidis, id est, Socratis verſus, ſingula eius eſſe testimonia; & quidem testimonia, quod ego affirmare audeo, longè ornatiſſimis verbis, præstantiſſimiſq́ ſententijs enūciata? Quid, quòd poeta ille, in oratorijs quibuſdam, & planè Socraticis Inductionibus tam & frequens, & fœlix est; itaq; pollet vel omnibus, vel maximis Comicorum, non modò Tragicorum in dicendo virtutibus; tantuſq́ mihi ῥήτωρ videtur, & tam inſignis flagitioſorum, perditorumq; hominum exagitator (quanquam non tam meum id, quàm Dionyſij Halicarnaſſæi iudicium est) vt facilè mihi perſuaderi patiar, aut Euripidem quendam Socraticum, aut potiùs

tiùs Socratem Euripideum, illarum fuiſſe tragœdiarum auctorem: indeq́ putem, non temerè, ſed de induſtria, feſtiuiſsimum poetam Ariſtophanem, magnum illum etiam εἴρωνα, Socratis epitheto, Εὐριπίδην σοφώτατον, non ſemel, ſed ſæpius appellauiſſe. Vt vt eſt, emergit Socratem noſtrum, in dicendo, idq́ meo potiſsimùm beneficio, & perpetua quadam dicendi conſuetudine ita omninò præter cæteros mortales excelluiſſe, vt eum tanquam cognomento aliquo poſsimus & veteratorem rhetoricum, & quendam oratoriũ athletam, atq́ pugilem perhibere: ipſumq́ cum Alcibiade Platonico debeamus non ſolùm Pericli, aut Neſtori, aut Antenori, ſed cunctis ante eum hominibus anteferre; conferre cum Satyris, & Silenis. Quid illius diſcipuli, magiſtri veſtri, Plato, atq́ Xenophon? quid? Iouem ſic, aiunt philoſophi, ſi Græcè loquatur, loquuturum, vt Plato: quod elogium excogitari potuit magnificentius? Et Xenophontis voce Muſas quaſi locutas ferunt: nouum laudãdi genus: vterque longè omnium, quicunq́ græcè

 ſcripſe-

ſcripſerunt, aut locuti ſunt, exſtitit dicendi copia, & ſuauitate, & quadam ſermonis profluenti vbertate, & propè omni lepore princeps. Vnde id quæſo tandem? An ex pauculis præceptis atque regulis? Hui; citiùs ex Athenienſi muſca facere illos potuiſſe Elephantem Indicum exiſtimabo. Vnde igitur? Erant illi quidem ſatis ingenioſi, quis negat? ſed non ſolet ager, quamuis maximè alioqui fertilis, ſine diligenti quadam, & aſſidua cultura, tam eſſe ſine omnibus ſpinis atque ſentibus fructuoſus. Dicam planiùs? Certè neque Socrates aliquando Socrates; neque Plato vnquam Plato; nec Xenophon ſine Exercitatione Xenophon exſtitiſſet. Qui tanti erant; quantos iſtos fuiſſe audiuiſtis, & quantos ipſi illos eſſe putatis, ne nomen quidem poſteritati propagatum haberent, nec fuiſſe eos vnquam in mundo intelligeretis, niſi ſempiternis literarum monimentis, ex mea officina exeuntibus, ſuæ gloriæ memoriam, ab obliuione hominum, atque à ſilentio vindicatam,

immor-

immortalitati conſecraſſent. Atque idem mihi liceret, de compluribus alijs, factis mea opera ex contemptiſſimis homulis pænè augustiſſimis Heroibus, affirmare. Ego Lycurgum Spartæ; Demoſthenem Athenis; Ciceronem Romæ; Venetijs Manutium; Ramum Pariſijs; Argentorato Sturmium; Smithum Cantabrigiæ; Humfredum Oxoniæ; ſingulis ferè nobiliſſimis Ciuitatibus ſingulos dedi præclariſſimos Oratores. Quid hæretis? Ego ſum Homericum μῶλυ, *nigra radice, flore lacteo: ego Maronis veſtri ille aureus arbore Ramus: ego Heſiodi* ἱδρῶς, *Theocriti* καμίσα παίδων πεῖρα: *ego ſiue Socratis, ſiue Iſocratis, ſiue Ariſtotelis, ſiue etiam Catonis (nam his omnibus eſt à quibuſdam attributa) radix amara, fructus dulcis: ego poëtarum Hercules, duodecim exantlatis, ſupra hominis mortalitatem pænè diuinis laboribus nobilitatus: ego denique (nam quid omnia conſecter, quæ ſunt in hoc genere infinita?) illud Amaltheæ precioſiſſimum, beatiſſimumq́ cornu ſum,*

quod Iupiter olim Nymphis, suis nutricibus, dono dedisse fertur, cũ hac magnifica promissione, vt quicquid aliquãdo ipsæ optare vellent, id illis omne ex eo cornu abundè suppeditatum obtinerent. Hæc si vobis præclara, si pulchra, si gloriosa, si admirabilia, si diuina videantur, Cantabrigienses: Exercitationem quamprimùm adhibete consiliarium: me vobis summo amore præstantibus officijs, singulari & fide, & obseruantia in perpetuum deuincite: mihi aßiduam operam nauate: in me oculos, aures, ora, linguas, manus etiam ipsas, & pedes, sed in primis animos, atq; mentes conuertite: in Exercitationis officina habitate: & statim omnes illustribus illis, & planè heroicis eloquentiæ virtutibus affluetis. Non deest vobis acumen ingenij, non generosa indoles: perfacilè artis præcepta; institutaq; maximè necessaria percipiuntur: tantùm gemina instrumenta ista, diuinitùs è beatorum sedibus ad me delata, non habetis, Analysin, atq; Genesin: quorum quantus sit, & quàm incredibilis vsus, ne explicari

quidem

quidem potest vllius oratione. Sed tamen attendite, quid ex cliente, ac familiari meo, P. Ramo, soleam plærunq; dicere. Si quis eximiæ pulchritudinis animalia, in aulæis picta, spectaret, atque in ipsa spectandi admiratione cùm esset, ea repente excitata prosilirent: quanta iam esset, & quanto perfusa gaudio spectanti lætitia? Ita si quis Rhetoricæ artis accuratam descriptionem contemplatus, vsum aliquem, viuentemq; actum desideret; atque in ipso desiderio, doctrinæ velut artus animari, suaq; sponte moueri aspiciat; protinusq; ita comparari, vt Palladis alicuius instar diuinitùs astantes alloquatur: qua voluptate hæc ipsa contemplantis animus gestiet? qua lætitia exsultabit? Hæc porrò miracula exhibebunt Analysis, atque Genesis: languentes & sopitos artis sensus excitabunt: calore viuentis sanguinis, motuq; eloquentis spiritus animabũt: adeò vt summam in illis dicendi virtutem, ac propè solam esse affirmare audeam. *Quid dici à quo-*

quam mortali potuit magnificentius? & tamen μέωσις hæc, non ἄυξησις est. Sed pergamus. Nostisne validum aliquem, & bellicosum militem, qui nunquam arma tractauit? an commodum, & idoneum gubernatorem, qui non tenuit aliquando clauum? an peritum architectū, qui non amußim, atque regulam vnquam apposuit? an industrium aratorem & colonum, qui non coluit agrum, non stercorauit non occauit? an omninò probabilem artificem non dico sine eisdem (sunt enim singulis artibus suæ singulæ Analyses, atq; Geneses) sed sine talibus instrumentis? Videtis in dextra Analysin. Hæc quidem mea, & propria, id est Rhetorica est: sed Analysi etiam sua quadam vtuntur, qui in aliquo agro, vel suo, vel alieno, cuiusmodi fuerit aratio, stercoratio, sementis, meßis, considerant. Videtis in sinistra Genesin: & quidē etiā nostra est: sed nimirùm illis quoq; sua Genesis est, qui agrum ipsi arant, stercorant, serunt, metunt. Sic in re militari, atq; bellica, cùm præliorū omnem rationem, quemadmodùm illa iam à fortißimis

exer-

exercitibus inita, & commissa fuerint, exquirimus: in pictura, cum propositæ alicuius tabulæ imagines, atque species, ex formis, & lineamentis, & proportionibus, & singularum comparatione partium, quales sint, æstimantur: in aureo argenteoue poculo, quo modo emblemata illigata; in Gallica, aut Italica, aut etiam quauis veste, probene, an secus confecta, & quàm illa apta corpori, quamque vel magnifica, vel venusta sit, cùm intuendo, dispiciendoque inquirimus: vel etiam consutam iam vestem, introspiciendi causa, dissuimus: Analysis quædam est. At verò cùm nosmetipsi præliamur, simulachra pingimus, in poculis, vasisque crustas, aut emblemata illigamus; cũ vestes ipsi cõficimus, Genesis est: eodẽque modo in alijs artibus, siue sordidis, quæ dicuntur, siue ingenuis, ac liberalibus. Agedũ, da mihi nunc hominẽ, qui Hectoris, qui Alexãdri, qui Scipionis, qui Hãnibalis, qui Cæsaris, qui Pompeij bella partim externa, partim intestina sæpè, multumque lectitarit, ipse nullam eorum gerendorum rationem videat;

nunquam hostis vultum, nunquam castra aspexerit; non hastam vibrauerit; non distrinxerit ensem; non concurrerit lanceis; non ex armato equo pugnarit; non eminùs, non cominùs præliatus sit; non exercitum duxerit; bellicum nũquam audierit; qualem videlicet Phormionem illum Peripateticum facit Catulus: an tu quenquam ab eo putes militare aliquid, & bellicosum exspectaturum? Audiui ego Academicos homines, qui, quòd neq; ipsi aliquãdo perorassent, nec alios perorantes magnopere curassent, nec in auctore aliquo diserto essent versati, sed poëtas omnes, oratoresq; ab ineunte adolescentia despexissent, cùm in priuatis, tum in publicis disputationibus Dunsicum nescio quid, & Dorbellicum fundere cogerentur, sine succo, sine sapore; frigidè, ieiunè, miserabiliter; & planè sic, vt ipsis etiam infantulis haud paulò infantiores viderentur. Quid nominem stipites Grammaticos, truncos Rhetores, graculos Sophistas, ranas, & mures Dialecticos, scopulos Mathematicos, asinos Philosophos? Ascendamus,

damus, si placet, ad eos, qui sunt Academicis honoribus, insignibusq́ decorati. Vidi ego baccalaureos, baculo potiùs cædendos, quàm ornandos laurea: vidi magistros septem artium, non dicam inertes, sed expertes earum omnium, quas profiterētur, artium: vidi doctores sine doctrina: vidi Medicos, Iureconsultos, Theologos sine praxi: vidi homines sine humanitate, viros sine virtute: quòd nec eam in alijs vnquam probassent, nec ipsi aliquādo vlla vterentur. Nota ista, non noua; rata, non rara sunt: hic, Oxoniæ, in omnibus omnium gentium, atq; regnorū Academijs, pluribus, quàm vellem, testatioribus, quàm vt dißimulari poßint, exemplis abūdamus. Verùm itane quisquam amens, atq; excors est, vt sperare audeat se nobilem cytharædum, & quasi alterum Amphionem, aut Apollinem euasurum, ipse interim nunquam lyram tangens, nunquam fidibus manum admouens? An potest quisquam Academicus tam nōn esse Academicus, vt se dormiendo, edendo, bibendo, otiando, cuticulam curando speret

 dignam

dignam loco, dignam perſona, dignam gradu vel ſcientiam, vel eloquentiam conſecuturum? Aut ſi tantùm illa valent, quantùm barbatuli iſti exiſtimant, colatur Epicuri ille monogrammus, & nihil agens Deus: ſit emblema literatorum, & quaſi teſſera, atque inſigne, Otium: inſcribatur in Academiarum foribus, Edite, Dormite, Ludite: in vniuſcuiuſq; ſcholæ veſtibulo Voluptatis ſimulachrum incidatur: valuæ ſolis Sardanapalis, & effæminatis hominibus aperiantur: mulierculæ regnent in ſubſellijs: Palladem excludant, intromittant Venerem: abijciant libros: bibliothecas incendant: ſtudijs πολλὰ χαίρειν dicant: in Libidinis ſacello anniuerſaria ſacrificia faciant: Cerealia, Bacchanaliaq́; quotannis celebrent: ab his ſacris, vnguentariorum, cythariſtarum, ſaltatorum, ſaltatricumq́; ædes, atque ludos frequentent; eoſq́; omnibus templis, gymnaſijs, Academijs anteponant: faſciculos ad nares admoueant, ſuauitateſq́; è floſculis afflatas conſectentur: incedant ſer-

tis

tis redimiti, atque roſa: poſtremò, (vt tandem finiam) omnium generum; maſculinas, fœmininas, communes, neutras; omnium ſpecierum, primitiuas, deriuatiuas; omnium figurarum, ſimplices, compoſitas, decompoſitas; omnium numerorum, ſingulares, plurales; omnium caſuum, rectas, obliquas; omnium comparationum, magnas, maiores, maximas conſpiciant, totaq́ mente, atque omnibus artubus contrectent voluptates. Facilè eſt, inuenire baculum, quo me, tanquam canem, cedant: poterunt inſtrumentis meis carere, eaq́ nomina quædam inania & nugatoria ducere: poterũt Ciceronem, Demoſthenem, Virgilium, Homerum, Socratem, Platonem, Xenophontẽ, cadauera, nõ homines reputare: poterũt in amœniſsimis Epicuri hortulis, inter fragrantiſsimos flores, atq́ herbas molliter recubantes philoſophari: poterũt Academiã, Academicè, Lyceum, atq́ Stoã Stoicè contẽnere: poterunt eruditum puluerẽ, & hanc oratoriã palæſtrã, lucẽq́ forẽſem irridere: poterũt, ſibiipſis, & deliciolis ſuis,

omniaq́

omniq; & corporis, & animi iucunditati, & quasi titillationi dies, noctesq; indulgere: poterunt, si Dijs, Deabusq; suis, id est, otio, ventri, somno, libidini, voluptati, Veneri placet, vel illo ipso Epicuri monogrammo Deo magis esse & otiosi, & delicati. Verùm si sine Exercitatione, studio, diligentia, commentatione, instrumentis meis nihil possunt, ne hiscere quidem: sed perinde faciunt, vt ij, qui cùm reptare non queunt, volare tamen aggrediūtur sine pennis: aut etiam vt ij, qui cum οὐδὲ γράμματα sciunt, οὐδὲ νεῖν, quod est Græcis hominibus in prouerbio, nec summo aquam pede vnquam tetigerunt, tamen sine cortice natare moliuntur: quis non me cupidißimè amplectatur? quis non instrumenta ista aurea, seu potiùs gemmea magni faciat? quis non meam familiaritatem, amicitiam, necessitudinem, tutelam ambiat, consectetur, aucupetur? Ego verò, nisi apud Aristotelem, argutißimum philosophum, forte legissem, neminem, sibimetipsi posse iniuriā inferre, idq; à vobis Aristoteleis tanquam καθολικὸν θεώρημα quoddam

dam

dam in Ethicis agitari accepissem; planè affirmarem eos Academicos, qui meum commercium fugerint, & amores meos, Analysin, atque Genesin, quos ego semper habui arctissimis mihi cognationis, affinitatisque vinculis coniunctissimos, veluti spretos, atque despectos repudiarint, non modò pessimè de seipsis, indignissimeque esse merituros, sed iniuriam etiam sibi maximam impositauros, & sempiternam. Cùm enim nihil sine causa fit, & qui patitur, idem etiam, nõ alius quispiam facit, quod iniquum omnibus, atque iniustum videtur (id ego iniuriam appello, est enim, vt opinor, iniuria, quod communem æquitatis legem violat, & contra ius, fasque admittitur: contra ius autem facit, qui in literatorum collegio, & quasi Prytaneo educatus, ea & studia, & officia deserit, quæ & facilè præstare potest, & debet studiosissimè exhaurire; quæque ad omnẽ Reip. procurationem permagna momenta adferunt) eum quasi à semetipso lacessitum, atque læsum, sibiipsi iniuriam infligere, & quodammodò manus violenter afferre soleo

M. *dicere,*

dicere, qui tali se turpitudine contaminat, & tam egregia hominis eruditi munera prætermittit. Non satis quidem fortasse Aristotelicè; siquis velit Νικομάχειον *illud obijcere* ἀξίωμα: *sed tamen nec aliorum opinione inscienter, & valde meo iudicio opportunè. Vt vt est (neque enim multùm refert) parùm illi suæ vtilitati; non satis Academiæ dignitati; amicorum exspectationi frigidissimè; Reip. emolumento pessimè; patriæ, atque parentum gloriæ stultissimè mihi videntur prospexisse, qui à meis præscriptis, atque institutionibus abhorrentes, & vel prauitate iudicij occæcati, vel otio, atq; mollitia animi liquescentes, instrumenta ista bellissima, pulcherrimaq; aspernantur. His enim nihil est aut ad splendorem omnem gloriosius: aut ad fructum optabilius. At quid hæc ad nos? inquiet vestrũ aliquis. Nonne sentis, qua gratia huc cõfluxerimus? nonne vides, quo te vultu, quibus oculis instrumenta contueamur? nonne animaduertis, quo illorum potiẽdorum desiderio, ac potiùs ardore conflagremus? an tu quen-*

quam esse istorũ suspicaris, qui non illa citiùs è flamma, & libentiùs petere velit, quàm cibum quisquã parasitus? fac, si nos amas, periculum: tua causa nullum ignem, nullas faces pertimescemus: tam erit vnusquisq; audax, quàm ille, de quo Poëta optimus: Nec timuit Phlegethõta, furentem ardẽtibus vndis. *Itane verò dicitis Cãtabrigienses? Agite, ô amici optimi, atq; magnanimi, &, vt idem ille inclytus poëta canit,* Durate, & vosmet rebus seruate secundis. *Accipite primùm à me hanc Analysin, totius instrumẽti partem, ordine primam, dignitate in primis admirabilem, vsu apprimè necessariam. Ea disertissimorum hominũ præclara scripta, atq; libros immortalitate cõsecratos; & quicquid vel Cicero, vel Cæsar, vel Terẽtius, vel is, quẽ modò nominaui, Maro, vel Liuius, vel Sallustius, vel alij Latinorũ antesignani scriptorum, posteritati cõmendarunt: quæq; Graiorũ eloquẽtissimi, & mei valentissimi pugiles, Isocrates, Demosthenes, Herodotus, Lucianus; Xenophõ, Plato; Homerus, Euripides, Sophocles,*

Aristophanes literarum monumentis mandata reliquerunt; ea, vt suam olim Penelope telã, retexite: omnem elocutionis copiam, varietatem, nitorem; omnia modificatorum vocabulorum insignia, omnes figurarum cum festiuitates in verbis, tum in sententijs aculeos, atq; neruos; totius orationis cursum, & constructionem, & volubilitatem, & contextum, & conformationem, & quæ sunt ornata, elaborata, perpolitaq; omnia, cum arte accuratissimè tradita comparate: præcepta exemplis illustrate: exempla præceptis accommodate: videte, quo modo ex illorum inductione, & quasi coagmentatione quadam, expressa ista initio, & quodammodò fuerint propagata. Quamprimùm in tropum aliquem in Ciceronis, aut Demosthenis Philippicis, in Terentij, aut Aristophanis Comœdijs incideritis, volo ego vos illico artis vocabulum recitare; atque ita sine vlla hæsitatione dicere: hæc insignis est Metonymia: illa lepida Ironia: illustris ista Metaphora: elegans hæc, & oratoria quædam synecdoche: nec genus solùm

lùm isto modo, sed etiam speciem certam, atque definitam nominare: vt, Metonymia est caussæ pro re effecta: Metonymia est efficientis: Metonymia est materiæ: aut contra; Metonymia est effectus pro caussa: & ita deinceps in tropis consequentibus. Si non verba singula modificata, sed tota oratio ἐσχηματισμένη, vt Græci vocant, vt nostri, figurata fuerit; idem etiam hic vobis sentio faciendum, quod priùs: vt exornationes dictionis facillimè indicare; sententiarũ ardentiora lumina cõfestim exponere valeatis. Nolim enim vos aut ex delicijs, & pigmentis oratorijs quicquam ignorare; aut neruos, & lacertos, & quasi artus, atq; toros forenses, & quæ iactantur, orationis fulmina, non videre. Distinguetis oratorium numerum à poëtico: oratorij numeri concinnitatem, & verborũ optimè sonantium, & redigendæ in quadrum orationis, & suauißimorũ pedum, in primisq; Dichorei illius Ciceroniani, & Aristotelici Pæonis vim omnem, atq; rationem, & illam oratorũ delicatißimam εὐφωνίαν obseruabitis. Quæ sint

repetitione ſimilis, aut leuiter diſsimilis ſoni, accerſitæ venuſtates, quis inde quæſitus dictionis nitor, & lepos, & quaſi color, atque fucus, animaduertetis. Quæ ſententiæ λογισμῷ. *quæ* διαλογισμῷ *conſtent, & quo modo* σχήματα τῆς διανοίας, *quæ vocant Græci, ad animorum motus agitandos, atq; miſcendos valeant; quàm incredibilem adferant dignitatē, maieſtatemq́; orationi; quo pacto illam illuminent, & quodāmodò accendāt, oratoremq́; admirabilem, atq; inuictum efficiāt; Iudices attonitos reddant; reliquos, qui audiūt, obſtupefaciant; neminem non inflamment, indicabitis. Nullam eloquendi virtutem, nullam elegantiam, nullam deniq; machinam ſine piaculo præteribitis. Ita tamen, vt ne in Hermogenis illius, at Mæotidem paludem nati, infinitam, & ambitioſam nimis* ματαιοτεχνίαν *incumbatis; de quo literis proditum eſt, adeo eum fuiſſe in ſua arte oculatum, atque curioſum, vt in vna, eademq́; periodo ſexcentas ſe figuras, atque ſubtilitates Rhetoricas deprehendere poſſe gloriaretur. Ex qua ferè* ματαιοπονίᾳ, *cùm*

alij

alij iampridem non pauci laborarunt, homines alioqui neutiquam deſpiciendi; tum hodie nimis profectò vbiq; multi, & multò ſanè plures, quàm vnquā antea: in primiſq́; ij, quos Harueius veſter & Philogræcos ſolet, & Pſeudoargentinenſes nominare: ego hoc tēpore Pſeudohermogenes nō inſcitè vſurparim; aliàs fortaſſe, vt videbitur, vel ſophiſtas, vel Pſeudorhetores, vel etiā Camæleontes quoſdam Rhetoricos appellaturus; non tam cibo illos quidem paſtos, quàm vento, vt ita dicā, atq; aëre Rhetorico ſaturatos. Verùm iſtiuſmodi argutiæ, ſenſim obſcuratæ, ſua ipſarum inanitate euaneſcent: nec alius illis ἀνταγωνιστῆς opus eſt, præter ipſas. Vos in auctoribus excutiēdis ita verſari debetis, vt vtilitatē & veſtrā, & publicā reſpexiſſe; futilitatē omnē, & ineptias deſpexiſſe videamini. Et quia Ciceronis, aut Demoſthenis vocē audire, intueri vultum nō poteſtis, nec habetis viuos illos pronunciandi magiſtros, quorū excellentē actionē cōtēplādo animaduertatis, animaduerſam imitando effingatis: dāda opera eſt, vt quæ

in eorum libris mortua ſunt pronunciationis exempla, ea noſmetipſi quãta poßimus & ſuauitate vocis, & præſtantia geſtus exprimamus; ita efferentes ſingula, & ſic actionem componentes, vt non tam alienam repetere, quàm orationem ipſi facere existimemur. Quo modo Æſchinem ferunt, grandem, atq; amplum oratorem, cùm propter ignominiam iudicij ceßiſſet Athenis, & ſe Rhodum contuliſſet; in Rhodorum cœtu, maxima, & ſuauißima voce, admirantibus omnibus, legiſſe orationem illam egregiam, quæ à Demoſthene pro Cteſiphonte ederetur. Quid multa? Inſtrumentum habetis, Cantabrigienſes, quod eſt inſtar celeberrimæ illius Critolai libræ, ad omnes omnium magiſtrorum præceptiunculas, inſtituta, regulas appendendas: & quo vno, tanquam Lydio lapide, ſiue potiùs vero, ac naturali igne poßitis Auri, vt ſic dicam Rhetorici puritatem, dignitatemq; æſtimare. Sic namq; exiſtimare debetis, ex notatione quadam, & obſeruatione Naturæ, ſingularum rerum præcepta effloruiſſe:

nec

nec quicquam ex vsu vestro aliquãdo fore, quod non fuerit iam ante in vsu apud summos Oratores. ἡ γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην, *vt peracutè Polus apud Platonem. Ac persæpè equidem cum P. Ramo, meo amicissimo cliẽte, optaui,* vt aureis, atque grãdibus litteris, pro foribus scholarum, & gymnasiorũ omniũ, vel potiùs firma, & stabili intelligentia, in doctorum ipsorum pectoribus, duo illa inclyta, & pereximia vocabula imprimerentur, ἐμπειρία, καὶ ἱστορία: *vt quoties ea viderent, legerent, meminissent, toties verorũ, vtiliumq́ præceptorum originem, atq; fontem viderent, legerent, meminissent; vsum etiam illorum certum, atq; illustrem, & quodammodò vitalem cõprehenderent. Id quod Analysis ista, rectè, ac legitimè adhibita, & potest facilè, & solet cumulatè præstare. Nam tum demum artificij vim omnẽ, & potestatem, &, vt græcè loquuntur,* ἐνέργειαν *optimè elicietis, cùm vsum eius, atq; fructum, in probatissimis omnium ætatum oratoribus, laudatissimisq; scriptoribus obseruatũ,*

N. *ad*

in eorum libris mortua sunt pronunciationis exempla, ea nosmetipsi quãta possimus & suauitate vocis, & praestantia gestus exprimamus; ita efferentes singula, & sic actionem componentes, vt non tam alienam repetere, quàm orationem ipsi facere existimemur. Quo modo Æschinem ferunt, grandem, atq; amplum oratorem, cùm propter ignominiam iudicij cessisset Athenis, & se Rhodum contulisset; in Rhodorum cœtu, maxima, & suauissima voce, admirantibus omnibus, legisse orationem illam egregiam, quæ à Demosthene pro Ctesiphonte ederetur. Quid multa? Instrumentum habetis, Cantabrigienses, quod est instar celeberrimæ illius Critolai libræ, ad omnes omnium magistrorum præceptiunculas, instituta, regulas appendendas: & quo vno, tanquam Lydio lapide, siue potiùs vero, ac naturali igne possitis Auri, vt sic dicam Rhetorici puritatem, dignitatemq; æstimare. Sic namq; existimare debetis, ex notatione quadam, & obseruatione Naturæ, singularum rerum præcepta efflorùisse: nec

nec quicquam ex vsu vestro aliquãdo fore, quod non fuerit iam ante in vsu apud summos Oratores. ἡ γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην, *vt peracutè Polus apud Platonem. Ac persæpè equidem cum P. Ramo, meo amicißimo cliẽte, optaui,* vt aureis, atque grãdibus litteris, pro foribus scholarum, & gymnasiorũ omniũ, vel potiùs firma, & stabili intelligentia, in doctorum ipsorum pectoribus, duo illa inclyta, & pereximia vocabula imprimerentur, ἐμπειρία, καὶ ἱστορία: *vt quoties ea viderent, legerent, meminissent, toties verorũ, vtiliumq́ præceptorum originem, atq; fontem viderent, legerent, meminissent; vsum etiam illorum certum, atq; illustrem, & quodammodò vitalem cõprehenderent. Id quod Analysis ista, rectè, ac legitimè adhibita, & potest facilè, & solet cumulatè præstare. Nam tum demum artificij vim omnẽ, & potestatem, &, vt græcè loquuntur,* ἐνέργειαν *optimè elicietis, cùm vsum eius, atq; fructum, in probatißimis omnium ætatum oratoribus, laudatißimisq́ scriptoribus obseruatũ,*

ad eum, quem expoſui, modum excutietis. Oraculū hoc putate. Quicquid Vſus, eloquendi magiſter, atq; artifex repudiauerit, improbandū id omne, vobis eſſe, ac reſpuendū. Sed ecce vobis in altera manu Geneſin: perpulchrū illud etiam, perq́; neceſſarium inſtrumentū: & ſine quo vetera tantùm retexere, nihil noui cōtexere quiſquā poteſt. Vt enim Analyſeos beneficio, quaſi diſſuetis ea, quæ artificioſè conſuta videbūtur: ſic aliquantò iā audaciores, & confirmatiores facti, nouumq́; opus fabricari cupiētes, Geneſin iſtam egregiam, latiſſimè per omnes terrarum oras manantem, tranſuolantemq́; Oceanum, & vbiq; gratioſam, cōtinuò adhibebitis. Aſpicite Araneā. Ea telam ſummo vtiq; artificio cōficit, atq; habitat in palatijs regum maximorū. Vos verò Cātabrigienſes, ſi Geneſeos huius auxilio, atq; opera, non minùs, quàm illa ſuam, & accuratè, & aſſiduè Rhetoricam, oratoriamq́; telam texueritis; ſi non in regum potentiſſimorum palatijs (quāquam id quidem etiā fortaſſe) at in Heræ meæ auguſtiſſimæ Regia, longè omnium

*Regiarũ magnificentiſsima, alij primas, alij ſe-
cundas, alij tertias obtinebitis: omnes regijs in-
ſignibus affluetis. Siccine verò? dicet aliquis:
quã tu quæſo telã, Heros diuine, quam Gene-
ſin memoras, tantorũ bonorum effectricem? Ar-
rigite aures. Dicam. Telam appello, quæ iſtius
Geneſeos immortali fuerit beneficio ad meam
præſcriptionẽ texta & cõcinnata. Geneſis au-
tem iſta, quam videtis, & cui telam illam acce-
ptam referre debetis; vel in ſcribendo cernitur;
eſtq; ſtylus ille, quem optimum, & præſtantiſsi-
mum dicendi effectorem Craſſus; Cicero aliàs o-
pificẽ, artificẽ aliàs appellat, (notatis verba?):
vel in dicendo, declamãdo, perorãdo: idq; vel ſu-
bitô, atq; ex tẽpore; quod interdũ quidẽ neceſſa-
riò; vel ſumpto ad cogitandũ, cõmentandũq; ſpa-
cio; quod eſt ſæpiùs, libentiuſq; faciendũ. Caput
autem eſt, vt egregiè ille apud Ciceronem, &
inſtrumenti iſtius pars optima, atq; præcipua,
quàm plurimùm, et quàm accuratiſsimè ſcribe-
re. Ita nimirũ, vt Imitatio quædã adſit eximia;
& quæ in M. Tullio, quæ in Demoſthene, quæ*

in priscis illis heroibus splēdidissima, & admirabilia maximè cognoueritis, ea in vestris ipsi lucubrationibus, atque scriptis quàm studiosissimè, diligentissimeq́; expressa in medium proferatis. Modificatis illorum, & inflexis verbis; probatissimis Metonymijs; suauissimis Ironijs, atq; salibus; clarissimis Metaphoris, & interdum illis superlatis, atq; hyperbolicis; lectissimis mēbri, & integri generis, & speciei modis; singulorum vocabulorū ornatissimis immutationibus vtamini. Non minùs comptas, exquisitasq́; dictionis venustates, nō asperiores, & dissolutiores periodos, non ineptiores eorundem verborum, sonorumúe repetitiones adhibeatis, quàm illi; nonnunquam etiam vincatis. Apta, & vehemēti Epizeuxi; non coacta Anadiplosi; gradatione limata; illustri Anaphora; concinna parium relatione, & epistrophe, quæ dicitur, eleganti; complexione inaffectata; nitida epanalepsi; epanodo expolita & tersa; agnominatione bella & venusta; suaui polyptoto, &, siqua sunt adhuc alia dictionis lumina, ijs, tanquam stellulis

ſtellulis quibuſdam ſplendentibus orationem di- ſtinguatis. Sententiarum etiam cõformationes nec pauciores, quàm illi veteres, nec languidio- res habeatis. Non eis Exclamationũ ardore; nõ Epiphonematũ grauitate; nõ oratoriæ Licẽ- tiæ audacia, nõ Correctionũ acumine; nõ Reti- cẽtiæ ſubtilitate, atq; fuco; nõ Auerſionis ad alie- nam perſonã dignitate, & ſplendore; non Pro- ſopopæiæ Maieſtate, atq; numine; non Ad- dubitationum ambiguitate; nõ Communicatio- num familiaritate, ac nitore; non Occupationũ varietate; non facilitate Permiſsionũ; non Con- ceſsionis fiducia; non vllo ſententiæ illuminan- dæ, variandæq; modo concedatis. Sic tamen iſta velim omnia tẽperetis, itaq; orationis filum, & illam, de qua dixi, telã texatis, vt quæcunq; in- tertexueritis dicẽdi ornamenta, atq; emblema- ta, ea in ſuum, & veluti natiuum locum perop- portunè migraſſe, non in alienum aliquem vel irrepſiſſe clanculùm, vel temerè irruiſſe videã- tur. Sunt vobis in Senatu, & in ſuffragijs fe- rendis ſolemnia, & concepta verba: Placet: nõ

 placet.

placet. *A me verò si eodē iā modo Procuratores vestri quærerēt, ecquidnā hic mihi tandem placeret, ecquid nō placeret, respōderem paucis, atq; ita rem omnē vno propè verbo expedirem.* Placet *quidē pulchra, & formosa, & cādida, & venusta, & benè cōpta; sed tamen modesta, verecūda, casta, incorrupta, vt virgo, sic etiā oratio.* Nō placet *adulterina, nō meretricijs coloribus oblita, nō fucatis delibuta medicamētis, nō vnguētis madens, nō alienis inusta cincinnis, nō nimis, aut picta, aut phalerata. Malo vestras ornari optimis, quàm onerari plurimis figuris scriptiones. Quāquā quid loquor descriptionibus? Eadē hac regula declamationes, themata, orationes, cōciones, omnes dicēdi exercitationes, siue subitas & fortuitas, siue præmeditatas metiemini. Singularē Elocutioni operā nauabitis: sed ita, vt ne quid nimis. Siquid enim cōmunibus omniū fastidijs adhærescit, id quidem certè Affectatio est: cuius vel nomen ipsum in Eloquētiæ regno maximè esse solet odiosum. Iā verò vt maiori gratia sese efferāt, quæ sunt tā eloquēti sermone colorata, Polymneiā ego Mu-*

ſam cenſeo, Heræ meæ pediſſequā obſeruātiſſimā (ea eſt pronūciādi magiſtra, & ſanè loquitur mirabili cū ſuauitate) tātiſper omnes cōſulatis, dū pro rerū varietate modulari vocem, pro arbitrio vultū cōponere, actionem, vt libet, temperare, atq; fingere valeatis. Erant mihi olim apud maiores veſtros Phonaſci: erāt ſcenici hiſtriones: erāt palæſtrici, et Laniſtæ: erāt id genus pugiles, atq; athletæ innumerabiles: tantùm actione valuit Theodorus, mirus in hoc genere artifex, vt eſt credo apud Ariſtotelem veſtrū in Rhetoricis Theodecteis, vt quācunq; perſonam ſuſtineret, eam & perfacilè, & peregregiè repræſentaret; & planè ita, vt cū Achillem ageret, Achilles; cū Vliſſem, Vliſſes; cū alium, alius videretur. Quid cōmemorem Satyrum hiſtrionem, & Canem illū neſcio quem, Demoſthenis magiſtrū? Quid duos Ciceronis doctores, Roſcium, & Æſopum; alterum Comœdum; Tragœdum alterum; vtrunq; in ſua arte præſtantiſſimum? Quid loquar de C. Graccho, qui fertur habuiſſe ſeruum, peritum, & literatum

homi-

hominem, qui ſtaret occultè poſt ipſum, cùm cõcionaretur, & quadam eburneola fiſtula inflaret celeriter eum ſonum, quo illũ aut remiſſum excitaret, aut à cõtẽtione reuocaret? Quid alia multa complectar, quæ olim quidem in vſu fuiſſe memorantur, nunc ridicula in primis viderẽtur, & perabſurda? Non, quæ propter vetuſtatem obſoleuerunt, refricabo: non reuocabo ab inferis mortuorum manes: non Satyros, atq; Roſcios excitabo, iampridẽ exploſos ex Heræ meæ glorioſo, atq; nobili contubernio. Aſpicietis continuò Polymneiam, virginem virginũ belliſsimã, atque Heræ meæ famulam, longè omnium amabiliſsimã. Quam vbi primùm videritis, exſpectabo protinus, vna vt omnes voce exclametis illico, ſicut Heros ille apud heroicũ poëtam, Venerem affatus:

O quàm te memorẽ virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis: nec vox hominem ſonat: O dea certè,
An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis vna,
Sis fœlix, noſtrumque leues quæcunque laborem.

Ac mox quidem veſtras miſerata preces, (vt eſt leni admodùm, atque miti ingenio) vobis ea

ſcholam

ſcholam aperiet, & in ſuum ludum, tanquam in gremium aſcitos, pronunciandi non diſcipulos reddet bonos, ſed optimos efficiet præceptores. Suam interim quiſq; Polymneiam pro virili excitet: quæ pronunciationis præcepta cõmodiſſima didiciſtis, ea ſeruate: in agendo, quod quemq; maximè decet, audienteſq; iuuat, ſequimini: grandem illum, & ſplendidum, & virilem; & tamen clarum, atque ſuauem Æſchinis ſonitum, qui poteſtis, imitamini: quem ferè ſonitum Præſtonus veſter iãpridem mihi videtur conſecutus. Proponitote vobis Luſciniam, cuius vocem ſæpè auditis dulcem, canoram, variam, concinnè modulatam.

Tu Philomela potes vocũ diſcrimina mille:
Mille potes varios ipſa referre modos.

Eam magiſtram, & doctricem veſtram facite: ab ea diſcite vocis claritatem, intenſionem, remiſſionem, flexionem, inclinationem, varietatem, dulcedinem: vt ampla, & ardentia grauiter; humilia leniter, & ſummiſſè; læta placidè; lugubria miſerabiliter; mediocria tẽperatè;

ommia decorè, & cum quadam amabili gratia proferatis. Auditis sæpissimè tibias, modulatè canentes, atque suauiter: & fidiculis numerosè sonantibus mirabilem in modum delectamini. Eas velim, si placet, imitemini: haud contemnendas meo iudicio præceptrices. Nam voces vestræ omnes, sicuti chordæ in fidibus, ita sonare debent, vt à motu animi quoque sunt pulsæ; &, vt nerui propè ipsi, intentæ, ac remissæ, ad quemque non digitorum, sed cogitationum, sensorumque tactum respondere. Nec vox solùm isto modo varianda, & inflectenda: sed totum corpus; caput, frons, oculi, brachia, manus, digiti, pectus, pedes, omnia, & singula corporis membra inseruire debent Actioni: nihil vt ineptum, nihil putidum, nihil agreste, nihil insulsum sit: cuncta ad eruditum Demosthenis speculum composita, & pæne conformata videantur. Soleo ego tacitè apud me ridere, cum ex Clientibus meis audio, tam solutum, & mollem in gestu fuisse Titium, vt saltatio inde quædam nasceretur, cui Titius

tius nomen esset. O pronunciandi artificem delicatulum. At quantò illa magis, de Curione, non dico ridicula, sed absurda? Quis loqueretur è lintre? &, Nunquam, Octaui, collegæ tuo gratiam referes, qui nisi se suo more iactasset, hodie te isthic muscæ comedissent. O putidiusculum Oratorem. Nam quid dicam de Hortensio? qui, cum esset nobilis, atque summus orator, tamen est propter nimiam in voce, motuq́; artem, ac venustatem, gesticularia Dionisia, notissimæ saltatriculæ nomine, appellatus. O hominem nimis effœminatum, & curiosum. Prætereo Manlium Suram, quem in agendo suo more discursantem, salientem, iactantem manus, togam modò deijcientē, modò reponētem, & immodica quadā exsultantem totius agitatione corporis, Domitius Afer non Agere dixit, sed Satagere. Occurrunt mihi aliorum in alios propter aliquam deformitatem agendi contorta probra: nec ferè quisquam est, qui non immoderatam in pronūciando affectationem iusto conuitio lacerauerit.

Nihil est oculis, atque auribus eruditis odiosius. Sed quorsum hac tam multa? Nempe, vt ne vos Mei Cantabrigienses, in huiusmodi aliquando vel ineptias, vel leuitates incurratis: in quas ferunt Oxonienses quosdam vestrates (si tamen verum est, quod vulgò iactatur) homines alioqui præclarè institutos, propemodùm incidisse: sed ita vocem, vultum, gestum, actionem omnem in dicendo, declamando, perorando, disputando, concionando, loquendo denique, ac colloquendo componatis, vt nihil claris oratoribus indignum existimetur. Qua in laude est operæprecium dignitatem trium municipū, vestrorum, Clerci, Leuini, Præstoni recordari, facilè in hoc genere principum, & optimorum agendi præceptorum. Mihi credite, nunquam huiusce vos vel Imitationis, vel cogitationis pœnitebit. Quòd autem ad vtramq; Genesin, & illam eloquendi, & hanc pronunciandi spectat, nulla vnquam nobilior exercitatio, nullum excellentius progymnasma pueris inuentum est, quàm id, quod est à Ioanne Sturmio traditum,

in libro, vt appellat, Academico de Exercitationibus Rhetoricis, à suis Argentinensibus vsurpatis. Recitat, *inquit*, vnus quotidie Orationẽ Ciceronis: vt presentes quasi Ciceronem ipsum loquentem, & rediuiuum audiant: & audiant, quod ipsos in Ciceronis vestigijs retineat. Concedimus interpellationem: & aduersariũ interloqui permittimus: atque ita respondere illum Ciceroni mortuo sinimus, quasi viueret: & ita puer sese exemplo applicat, quoad potest, vt oratio interpellãtis, cum Ciceronis oratione contendere videatur. Orationis etiã contrariæ conficiuntur: vt proximis hijsce diebus Rehagius Antimilonianam à se cõfectã aget, & Ciceroni audebit aduersari. Deinde iudicium constituimus: quæsitore vno: Iudicibus pluribus, quos Præpositus Iudicij sibi aduocauit: aut quos Senatus, Prætorúe dedit. Magistratum etiam addidimus, & poculum circumstantem: & vt in Tragœdijs Poetæ Heroes imitãtur: & in

Comœdijs rusticos homines: sic nos vera iudicia in veris causis instituimus; & quasi gladiatorum, sic oratorum paria introducimus. Ac non parua quidem voluptate spectantur Actores, audiuntur: dum Aemulatio inter ipsos excitatur: si alter alterum conetur superare, memoria, venustate, stilo; qui expolitur, dum interpellationes domi à se conscriptas adferunt: dum etiam aduersarias domi à se factas in hac palæstra agunt: si non reuera, at imitatione veri: & studio veræ laudis, atque vtilitatis.

O præclarum, & magnificũ Exercitationis genus: omnibus anteferendum Comœdiarum, Tragœdiarumq́ actionibus, si ita instituatur, ita celebretur, vt ego suspicor. O Sturmij canos, vel hoc vnico inuento à generosis quibusque adolescentibus omni veneratione complectendos. Exstant Senecæ, ac Quintiliani, haudquaquam illæ quidem contemnendæ Declamationes. Eas percurrite: in vestris

ipsi

ipsi declamationibus, quod facilè potestis, superate. Legite nobilißimas aduersarias duorum post editos in lucem homines præclarißimorum, Oratorum, Demosthenis, atque Æschinis, Latinam olim togam à Cicerone vestro mutuantium, nunc suo Attico pallio indutorum: exempla esse luculenta poterunt vestrarum in simili genere contentionum. Est Luciani pro Tyrannicida Declamatio; & verisimilium argumentorum momentis peracuta, & verbis, totaq; compositione perdiserta. Eam duo pulcherrima, & facetißima ingenia, Erasmus, atque Morus, contrarijs declamationibus conuulsam, oppugnare tentarunt. Sunt alia in eodem fermè genere non pauca, Vallæ in primis, atque Rami, vt omittam alios, cum Imitatione diligenti, tum etiam quadã literata, & generosa æmulatione sanè dignißima. Ex quibus etiam nominatim epistolam vobis peringeniosam, elegantemq; commendo Francisci Petrarchæ, hominis diuino cerebro, & sua quadam in scribendo singulari

quasi

quasi vena pollentis; ad Ciceronem illam quidē, sed contra Ciceronē ante annos CCXXX. scriptam, nondum tamen, vt opinor, missam, scriptam autem, cū in eius Epistolas, diu, multumq; perquisitas, atque tandem inuentas, incidisset. Nihil istiusmodi aduersarijs vel ad conciliandam elocutionis copiam vberius: vel, si enuncientur, ad agendi dignitatem illustrandam, magnificentius potest excogitari: si velitis ipsi vel Ciceronis, vel alterius egregij oratoris manes, similibus antilogijs lacessitos, ab inferis excitare. At præcepta hic forsitan aliqua requiritis: quibus instituti, maiori cum laude possitis in hoc genere versari. Itâne? Quid si Horatianum illud vobis in memoriam reuocem, Omne tulit pūctum, qui miscuit vtile dulci? *Quid si Luciani, suauissimi Rhetoris,* τὸ χρήσιμον. καὶ τὸ τερπνόν; *Quid si Socratis nostri inductiones, interrogationes, exempla ironias? Quid si Homeri* ἐπεισόδια; *Quid si aliorū Rhetorum, Poëtarumq; alia, mihi valde in eorum commentationibus approbata, & partim ad*

meam,

meam, partim ad meorum affinium laudem, atque decus celebrata? Annon abundare vos præceptis, institutisq; idoneis putarctis; &, quemadmodum Alcumistæ in arte sua loquuntur, habere vos magisterium *crederetis? Certè qui ea in suis dictionibus, atq; scriptis opportunè adhibet, quæ in alienis iure admiratur, ei præceptorum satis est: nec erudiri hunc aliorum institutionibus velim, sed suis alios exemplis informare. Verùm quid ego vobiscum tam diu de eloquendi, pronunciandiq; exercitatione, ac facultate loquor, quã affatim omnibus suppeditabunt mea ista aureola instrumenta?*

Adde, quòd est illis operũ prudẽtia maior:
Solus & Artifices qui facit, Vsus adest.

Nam in immensum serperet oratio, & sol me priùs, quàm illa deficeret, si vel millesimam partem vellem earum sententiarũ, apophthegmatum, prouerbiorum, similitudinum, fabellarum, versiculorum, emblematum in mediũ proferre, quibus me doctissimi, prudentissimiq; homines, meaq; optima, & charissima instrumẽta

P. *copio-*

copiosißimè decorata exornarunt: Citiùs credo stellas, & si quid est illis ipsius innumerabilius, numerarem. Et tamen, si verè Græci de suo, ac potiùs de meo Hercule, certatim ab omnibus dilaudato: Ecquis Herculem vnquam laudauit? *quãtò ego de me, omnes de Exercitatione rectiùs? Ecquis vnquã Exercitationẽ laudauit, Herculis ipsius Herculem, eloquentiæ satellitẽ inuictißimũ? Nam quod egregiè Periander ille Corinthius, Cypseli filius, is, qui numeratur inter Græcorũ sapientes, vir magnus, ac præpotẽs tyrannus dicere solebat:* Exercitatio potest omnia; *rationẽ addens valde bonã,* Nam & Isthmum quoque potuit perfodere: *tametsi, nõ dico multa paucis, sed verbo omnia sit cõplexus, nec plura potuisse pluribus dicere videatur:* (omnia *enim Exercitationi tribuens, nihil excipit, quod addi ad cumulum poßit) tãtùm tamen abest, vt laudem Exercitationis aliquã præ se ferat, vt, quoties eorũ amplitudinẽ, atq; magnificentiã cõtemplor, qui mihi olim vel à pedibus, & ab infimis quibusq; partibus exstitissent,*

tissent, soleã isto modo, propemodũ ἐκστατικῶς, *exclamare.* O Periander: Sapientẽ appello: tu dicere solebas; *Sed ecce vobis, nec opinãtibus, Eam, quam tantoperè desideratis, cuius vidẽdæ gratia tam auidè conuolastis, in quam oculos iamdiu constantissimos spe, atq; mente defixistis, incredibili Maiestate, regio habitu, aspectu pænè Angelico, Illustrissimam meam Heram, augustissimam Heroinam,* ELOQVENTIAM: *diuinũ animal, & cælesti rore, atq; ambrosia, in fortunatis mentium beatarũ insulis, nõ illis quidẽ Homeri cõmentitijs, sed nostris multò fœlicioribus, optatioribusq; enutritũ. Videte per Deũ immortalẽ, quàm sit omnibus omniũ generũ insignibus, ornamentisq; speciosa: quàm sint cũcta ad incredibilẽ venustatẽ, summã admirationem, singularẽ magnificentiã, splendorẽ, venerationem cõparata. Mitto aureã comã, & calamistratos capillos: mitto serenã, & peramabilẽ frõtẽ: mitto nitẽtes oculos, & purpureas genas: mitto illas partim roseas, partim niueas buccas: mitto labra mellita:*

oris tantùm admirãdam, singularemq́; pulchritudinem respicite: & statim vnusquisq; exclamabit, vt amator ille apud Comicũ: O faciem pulchram: deleo omnes dehinc ex animo mulieres: tædet quotidianarum harum formarum. *Quanquam si pectoris eximiè decoram venustatem, & illas, vt ita dicam, lacteolas papillas, & candidos, atq; teretes digitos, & elegantes pedes, & reliqua omnia tam cõcinni corporis membra intueamini, singula quàm simillima singulorum, omnia omnium, id est pulcherrima, bellissima, delicatissima sentietis. Nam quid loquar de magnificis vestibus, de preciosis monilibus, annulis, torquibus, de aureis, atq; argenteis filis, aciculis, fibulis, fimbrijs, de fulgentibus margaritis, de illustribus gẽmis, de reliquo corporis ornatu, atq; cultu vniuerso? Contuemini potiùs à dextra,* cornu illud Copiæ locupletissimum, *omni & sonorum genere distinctum, & varietate colorum frequẽtatum. Videte ex altera parte inseruientes, atq; ancillantes suæ Dominæ, obsequentissimas famulas:*

mulas: illinc quidem Gloriam, Laudem, Honorem, Famam, Magnificentiam, Decus, Splendorem: hinc Pecuniam, Aurum, Argentum, Opes, Facultates, diuitem, & copiosam Supellectilem, illius sumptuosis ædificijs, augustisq; palatijs congruentem: illinc Studium, obseruãtiam, officium, Affabilitatem, Comitatem, Gratiam: hinc cunctarum optatissimarum rerum abundãtiam. Circunspicite consiliarios eius togatos: armatos satellites, cliẽtes paludatos, cincinnatos Aulicos, administros, famulos, seruos, seruorum seruos holosericos. Inciperem arenas, atq; atomos numerare, si eorum vellem singulorum nomina percensere. Sunt Hebræi: sunt Græci: sunt Latini: sunt Itali: sunt Hispani: sunt Galli: sunt Angli: sunt Germani: sunt omnium regnorum, gentium, nationum clarissimi Oratores. Et verò ex Hebræis, dignitatem suntmaximam, atq; amplissimam cõsecuti, quos videtis Hebraica chlamyde amictos: quiq; primi literarum monumentis res & suas, & aliorum gestas, antiquissimorũ hominũ, atq;

 adeo

Dei ipsius Optimi Maximi admiranda opera prodiderunt. Sed quid rem infinitã aggredior? Præsertim cùm Hera iam ipsa propè adsit: & reliquus mihi Orationis epilogus sit amputatus. Sed tamen videte, vt omnes, atq; singuli illius famuli rerum omnium admirabili copia circunfluant, & vbertate. Quæ si vos delectant, si iuuant, si ad sese allectant, Cantabrigienses, me sequimini. Faciam, vt in Heræ meæ magnificentißima Aula atq; regia, primas, secundas, tertias, quartas assequamini. Nunc illius mihi nutus silentium imponit.

DIXI.

H*Viusmodi apud vos Orationem si suis, id est multo elegantioribus cùm verbis, tum sententijs, is, quem introduxi loquentem, cuiq; & viri, & oratoris personam attribui, Eloquentiæ satelles* Exercitatio *habuisset, Mei optatißimi Auditores: nonne ad eum omnes confestim accurreretis? nonne eius subsidium,*

opem,

opem, tutelam, propugnationem, patrocinium quàm ſtudioſiſſimè etiam, atque etiam imploraretis? nonne multò eum cupidiſſimè, auidiſſimeq́; ſequeremini? At per Deum Opt. Max. quem nunquam ego temerè nominandũ cenſeo, hæc ita vobis cũ omnino omnia, tum ſigillatim ſingula pollicetur Exercitatio, vt lõgè & plura poſſit, & maiora quædam, atq; illuſtriora ſoleat euentu ipſo præſtare. Dici enim profectò non poteſt, quantum illa momentum afferat ad ſummam eloquentiæ laudem adipiſcendam. Fuit olim apud Græcos, & hodiè apud omnes celebre nomen eſt eorum, quos tam ſæpè cõmemoro, & quorum nominibus ipſis recreor, eloquentiæ ſi non parentum, certè principum Homeri, Euripidis, Sophoclis, Ariſtophanis; Platonis, Xenophõtis; Demoſthenis, Iſocratis, Herodoti, Luciani, innumerabilium aliorum, in omni dicendi ratione, oratoriaq́; virtute præcellentium. Floruerunt inter ſuos, inter noſtros regnant, Latinitatis auctores longè poſt vrbem cõditã politiſſimi, atq; viri immortalitate digni

(sic enim semper habiti sunt, & ita, credo, apud omnem posteritatem habebuntur) Plautus, Terentius, Virgilius, Horatius; Cicero, Cæsar, Varro, Sallustius, Liuius; omnes ad Latinè scribendum facti, vt opinor, atq; nati: tam id faciunt cum quadam dignitate expeditè. Descendamus ad proxima superiora tẽpora: etiam hæc nostra, si videtur, videamus: argenteaq; aureis (quæ sunt enim interiecta sæcula, omninò fuêre plumbea, atq; ferrea) subiungamus. Sunt in ore vestro aßidui, in manibus frequẽtes, honoris à me gratia nominati sæpius, Valla, Pontanus, Bembus, Sadoletus, Longolius, Riccius, Manutius; Nizolius, Sturmius, Osorius, Muretus, Buchananus; nonnulli alij (latera me enim deficiunt) in vberrimo Latinorum scriptorum fætu, (solam excipio M. Tullij illam ætatem auream) cùm meo iuditio, (quod tamen fortasse nullum est) tum omnium, quos vnquam audire potui, facilè primas ferentes: nec de eorum iustißimis laudibus vlla vnquam non ingratißima ætas conticescet. Non loquor

quor de Italiæ miraculis, Danthe, Petrarcha, Boccatio, Sanazario, Ariosto. Aliarum gẽtium præstantissimos, celeberrimosq́ scriptores tacitus prætermitto. De Chaucero, Moro, Eliota, Aschamo, Iuello, nostris gemmis nihil in præsenti dico. Quæram, vnde isti, longè omnium, qui sunt, qui fuerunt, (nam de futuro nihil audeo, in tanto præsertim tam admirabilium ingeniorum flore, affirmare) in suis quiq linguis sine vlla dubitatione eloquentissimi, tam lautam sint, & tam venustam dicendi copiam, vbertatem, leporem, elegantiam consecuti. Respondeat æquus Iudex : *annon Genesi cuncta accepta referet, & assiduas eorum, elaboratasq́ scriptiones, quibus tam illustre nomen adepti sunt, insigni commendatione prædicabit? annon* Stylo *gratias habendas arbitrabitur, dicendi magistro longè optimo, atque doctissimo? Quid Analysis? Euocemus eundem* Iudicem : *annon respondebit homo prudens, exquisitissimos omnium in hoc genere Artifices, cum nonnullos veteres, tum*

verò recentiores etiam aliquot, homines nostra memoria spectatißimos, & cum maiorum immortali laude coniungendos; in primisq́; P. Ramum, A. Talæum, A. Foquelinum, I. Thomam Freigium, F. Schorum, G. Rodingum, complures alios, hinc esse propemodùm id, quod sunt? annon superiorum scriptorum explicatio, nonnullos illis ipsis pænè in scribendo superiores effecit; ad eorumq́; familiam aggregauit, qui putantur ex ipsius Eloquentiæ stirpe generati? annon suis multi commentarijs, prælectionibus, scholijs, veluti quibusdam gradibus, in præcelsam Rhetoricæ arcem, & quasi cœlum, vt sic dicam, ascenderunt; indeq́; diuinissimis Oratoribus sunt, tanquam Angelis ascripti immortalibus? Et tamen, liberè vt dicam, (erumpat enim vera vox) neminem profectò esse, neque istorum sentio, neque aliorum in eodem genere præstantium, qui tantam inde, & tam excellẽtem vel ingenij, vel artis, vel industriæ gloriam, atque decus reportarit, vt non palmam adhuc Deum præpotentem suspicer

aut

aut alicui ex volis, aut nescio quibus alijs, è cælo delapsuris, reseruasse. Permultum potest Analysis: permultum Genesis: vtraq; suo loco adhibita, & vsurpata frequenter, vbi nec eruditionis instrumentum deest, & elucet illud splēdidum ingenij lumen, quo à Natura mihi multi videntur circumfusi, tandem mediusfidiùs diuinum nescio quid edet, quod instar omnium portentorum, miraculorumq; habere videatur. Sed nolo ego aures vestras, subauscultando iam pænè defatigatas, defessas quidem certè, longis, vt ait illeq;, logis obtundere. Est vobis acre, atq; promptum ingenium: non desunt artis præcepta, enucleatè exposita: habetis Audomari τεχνολογίαν, artificiosè concinnatam: sunt aliorum Rhetorum præclara scripta, in quibus operam locetis egregiam: Exercitationi etiam mihi deniq; videmini, (quod caput est) singulari quodam ardore conflagrare; & quæ iamdudum vobis proposui, instrumentorum instrumenta, (sic namq; meus ille solebat appellare Philologus) in summis bonis numerare.

Satis est: constantiam exspecto: efflagitabo etiam, si erit necesse. Ac nostra quidem qualiscunque Analysis in Orationem post reditum ad Quirites; quam nemo adhuc vel Rhetoricis, vel Dialecticis, vel omnino vllis, quod sciam, explicationibus illustrauit; nonnihil vos, vti spero, adiuuabit: præsertim si Genesim ipsi adiungatis: & diu, vt iubet Crassus, multumque scriptitetis. Verùm Analyseos illius initium in crastinum differemus. Exhausta enim, vt video, clepsydra est.

Prosit.

¶ Excudebat Londini, Henricus Binnemanus *Typographus, Anno M. D. LXXVII. Mense Nouembri: rogatu ornatissimi viri, B.* Clerci, Legum Doctoris.

BRITISH MUSEUM